N. Lat 198

Κτῆμα
Joh. Hildebr. Withofii
Anno MDCCXV. XXIX gtr
Symbolum
Mundus regitur opinionibus.

100

Tst. 20 gr

E. Weisse

Annus 1560 Lotichio fatalis.

LotIChIVs Vates obIIt, CVI fLaVVs In Ipsa
CaLestI PhoebVs VIX tVLIt arte pareM.
eXVLVLant CharItes, Veneres, IVnCtæqVe
sorores,
et qVerItVr trIstes Mæsta CaterVa VICes

Inter recentiores primus locus
debetur Lotichio, quo, vel
ipsa fatente invidia, nemo
umquam melius exprimere et
Ovidium. Certe hunc Germa-
num exteris omnibus possumus
opponere. Morhoff. Polyh. Liter.
Lib. VII. c. 3.

PETRI LOTICHII SECUNDI Solitariensis POEMATA.

DRESDÆ.

Apud Joh. Christoph Zimmermann.

Anno 1702.

N. Lat. 198

PETRI LOTICHII SECUNDI

Solitariensis

POEMATA.

DRESDÆ.

Apud Joh. Christoph Zimmermann.

Anno 1701.

1402 878 01

BONARUM ARTIUM
& POETICÆ
cumprimis
STUDIOSIS JUVENIBUS
Salutem & incrementa
optat

M. JOH. DAVID SCHREBER

ILLUSTRIS SCHOLÆ, QUÆ MISENÆ EST, COLLEGA.

PETRUS LOTICHIUS SECUNDUS, cujus Carmina novis typis descripta hic exhibentur, inter præcipuos Germaniæ Poëtas illustri laude eminuit, atq; seculo post C. N. XVI. decori fuit & ornamento. Natus is erat A. 1528. Solitariæ in

Monaſterio quod eſt in Hanoico Comitatu, nec generis inhibuit obſcuritas, quominus ad gloriam præclaræ doctrinæ eniteretur. Fovebant egregiam indolem Patruus primum Petrus, iſtius Monaſterii Antiſtes, a quo ut diſcerneretur, cognomine etiam Secundus dictus eſt, inde Francofurti Præceptor optimus, atque Poëta ſimul inſignis Jacobus Micyllus, & Marpurgi poſtea alii liberalium artium doctores, maxime vero in hac noſtra Saxonia Philippus Melanchton & Joachimus Camerarius nobiles Viri ob repurgatas literas, & in intelligendis penſitandisq; ingeniis præcellentes, qui gravi judicio amare cœperunt venuſtam indolem & amplexari, cumque naturali quodam impetu ad Poëſeos Studium

Pe-

Petrum ferri, atq; disciplinis tum Græcis tum Latinis, ad hæc vero moribus etiam probe temperatis compositisq; perpolitum intelligerent, tuendum sibi atq; diligentiori cura ornandum susceperunt. Sane Camerarius potissimum, finito jam ferali illo bello, quod Schmalcaldicum audit, in quo Lotichius nomen suum militiæ dare necessum habuit, scriptis literis ad Danielem Stibarum Equitem Francum, atque Ordinis Canonicorum Wurceburgicorum Primarium, huic doctarum artium insigni fautori istum Musarum Alumnum commendavit, a quo etiam cupide in familiam adscitus, & agnatis adolescentib9 Præceptor primum, mox iter in Galliam ingredientibus comes est adjunctus. Vixit ibi per qua-

driennium, atq; eximium ingenium optimis disciplinis solerter auxit, ac declaravit etiam summis Viris, seque in familiaritatem ipsorum penitus insinuavit ac immersit, Mompelii cumprimis salutari arti operam navans, atque magnificas agri ejus hortorumque opes pervestigans. Redux e Gallia ab eodem illo Mæcenate suo Stibaro in Italiam ablegatur, ut vitam & studia Nobilissimorum Juvenum moderaretur, fecitq; istud cum singulari laude, & suam non minus mentem doctrina exornavit, Pataviumque ac Bononiam altrices habuit benignissimas, nisi quod tamen in hac urbe magnum vitæ discrimen adiit, atque imprudens in jus venenatum, quod Philtron dicunt Græci, abs hospita nobili cui-

cuidam Bavaro, qui egregiæ formæ Juvenis iisdem ædibus utebatur, appositum incidit, ac superata veneni intra præcordia sævientis vi febri gravi cœpit laborare, neq; ex eo tempore firma est usus valetudine, inq; patriam reversus, & a Principe Palatino A. 1557. Heidelbergam adductus, ut Medicam artem doceret & tractaret, non nisi per triennium eidem Provinciæ præfuit, vitamque angustis quidem terminis circumscriptam, sed plenam tamen laudis & meritorum VII. Novembr. die Ao. 1560. finivit, quod cœlibem duxerat, nullis relictis liberis, sed superstitibus tamen ad posteritatis memoriam præclari ingenii monumentis. Copiosius hæc exequitur, quo cum Lotichio fuerunt omnes

amicitiæ necessitudines, Joh. Hagius celeberrimus Medicus, qui hujus eximii Poëtæ vitam nonnullis Carminum editionibus annexam describendam sibi sumsit, ex qua ego pauca hæc excerpsi, quæ ad notitiam scriptoris viderentur sufficere, desideratione potissimum, cujus impensis hæc exeunt, Dn. Joh. Christiani Zimmermanni, cum propter temporis angustias fieri non posse is monuisset, ut integra ista vita ipsi Poëmatum collectioni apponeretur. Nimirum cum quibusdam Scholæ nostræ alumnis inferiori Ordini adscriptis & mea quoque institutione ad Poeseos studium deducendis Lotichium proponere, & cum Ovidio superiorum decreto aliis horis explicando Ovidianæ suavitatis æmulum con-

conjungere animus eſſet, ut videlicet his ducibus Elegiaci carminis conſtructionem addiſcerent; intelligerem autem perquam rara inveniri hujus exempla, ne conſilio deſiſtere neceſſum foret, Viro, quem dixi, integerrimo ſuaſor fui, ut curaret eundem denuo excudi. Paſſus vero ille eſt ſe perſuaderi, & veſtris uſibus, quotquot liberalibus ſtudiis atque carmini condendo potiſſimum operamini, ipſum exhibens, ut commendatum vobis habeatis hoc ſuum inſtitutum vehementer expetit. Sane ut naturali quodam impetu ad ligatæ orationis culturam Lotichius raptus eſt, adeo ut, quod Hagius refert, ipſe faſſus ſit identidem, quicquid extra carmen & verſum ageret, quaſi aliud agentem ſe agere; ita communis

maximorum Virorum ſententia, non cum optimis horum temporum modo, ſed cum antiquis etiam vatibus eundem poſſe comparari, imo & aliquibus jure meritoque anteponi. Thuanus quidem, ne temere hoc ſcripſiſſe videar, omnium ſuo judicio, qui ſecundum Eobanum Heſſum in Germania Poeticam attigerint, præſtantiſſimum hunc eſſe fatetur. L. XXVI. p, m. 1201. at Joachimus Camerarius, qui ſuaſor & adjutor fuit Vögelino Lipſienſi Typographo, ut primus Lotichii carmina A. 1561. imprimeret, haud paulo operoſior eſt in ipſius laudibus, & talem Poetam fuiſſe contendit, qualē ſua ætas & noſtra natio alterum non tulerit, neque negaturos & Eobanum & Sabinum, ſi viverent, addit, elegan-

gantia & ſuavitate atque exprimendi; vetuſtatis ſimilitudinem contentione ſe ab hoc alicubi ſuperari, in *Epiſtola nuncupatoria ad Neuſtetterum*, quam collectioni carminum iſtorum præmiſit. Quinimo nec defuerunt, qui poſt Ovidium neminem in Elegiaco carmine tantum præſtitiſſe aſſeverarent, quod apud Bailletum legitur *in Judiciis doctorum* T. IV. P. III. p. 272. Nolo præterire ſilentio quod Janus Gruterus accuratus ingeniorum cenſor ad Jo. Petrum Lotichium de Petro hujus Patruo ſcripſerit

- - nec enim Germania vatem
Laudat adhuc, illo qui prior eſſe queat.

Vid. *Joh. Petr. Lotichii Bibliothec Poetic. p. m. 115.* Daniel Paræus merito

rito Camœnas palmam utrique tribuere pronunciaverit apud *Bartholinum de Medicis Poetis, p. 142.* Morhofius vero, at o! quantus & ipſe Poeta, Phœnicem Poetarum Germaniæ appellaverit, qui ſuperare interdum ipſum Ovidium ac Virgilianam in Eclogis ſvavitatem unus exprimere ſibi videatur, *Polyhiſtor. Literar. Lib. I. cap. 19. p. 225.* Ubi forſan non debuit notari J. C. Scaliger, *quod in Hypercritico ſuo, cum cenſuram Poetarum Germanorum inſtituit, ne verbulum quidem de hoc faciat, qui tamen omnibus cæteris auteferendo* propterea qvod Lotichii Poemata poſt Scaligeri demum obitum prodierunt. Tulit ergo Lotichius omne punctum & ad huncusq; diem communi recte ſentientium conſenſu menſuram implet egregii vatis, eſtq;

eorum

eorum cumprimis, qui ad Elegias ſcribendas animum applicant, manibus diligenter volvendus, quandoquidem ipſe Principes iſtius carminis Naſonem & Tibullum per quam ſibi reddidit familiares, & in ſinu nunquam non habuit repoſitos, ac plerumque non niſi ubi eorum lectione incaluerat, ad verſus conficiendos progreſſus eſt, ſolerterque & curate expreſſit, quicquid elegantiarum & ſuavitatis in illis demiramur. Quam ſane ob cauſam recentioris ævi Poetæ cum antiquis conjungendi, atque ut in exemplis illuſtribus vera imitandi ratio pateat, juventuti etiam proponendi ſunt, maxime quod & ſuper hæc religioſius longe, & ad horum temporum conditionem accommodatius ſcribunt,

qui

qui poſt profligatum ex Europa omni Ethniciſmum numeris ſua verba adſtrinxerunt. Eoq; conſilio viri de literaria re bene merituri ultimorum ſeculorum carmina denuo curarunt imprimi, hancque peregregiamoperam Actio Sannazario, Georg. Buchanano, Caſp. Barlæo, Antonio Paleario, Hieronymo Vidæ, ſicut Amalthæis fratribus ipſe celeberrimus Grævius & admodum nuper Hugoni Piorum deſideriorum ſcriptori Vockerodus non minus recti moris ſtudio qvã præclaræ doctrinæ laude inclytus Gothani Gymnaſii Rector, aliis alii præſtiterunt. His exemplis tuebitur ſe præſentis inſtituti ratio, adductusq; iisdem ego Fabricii noſtri Odas maxime ac reliqua carmina & o! quam egregia pietas magni

viri

viri ex illis elucet recudi, & Romanæ lyræ, Sioniæ hunc fidicinem eximium adjungi facerem, si quis foret, qui consilio faveret. Monebuntur interea abs me nostri, in quorum gratiam Lotichiana hæc carmina prælo subjecta sunt, ut eadem in deliciis habeant cumq; antiqui temporis vatibus studiose lectitent, at vero & ipsi carminum conficiendorum rationem solerter meditentur, atq; Poetas omnino, qui primi sapientiam voce & scripto tradiderunt, ad eandem consequendam adjumento sibi esse, ac præcipue ad compositionis elegantiam utilitatem ac decus afferre posse censeant, ut ejus artis præstantia ad perfectæ doctrinæ gloriam connitantur, neque patiantur exolescere optimum morem conjungen-

gendi cum libris prosa oratione conditis venustorum carminum delicias, aut futilem credant esse eam omnem artem, operamque vanam & ineptam, quæ eidem impenditur, quod hos quinque ante annos Tanaqvil Faber Tanaquil prudentioris studiorum æstimatoris Filius somniavit, & libello professus est, & nugatores alii, dum cerebro laborant interdum, inani sentiendi loquendique profluentia blaterant. Vos autem, optimi juvenes, qvos apud utriusque ævi vates & eorum carmina in pretio adhuc sunt, fruimini libello hoc, & illustri exemplo excitati istam quoque sapientiæ disciplinam, qua potestis contentione, ad antiquum nitorem revocate. Scripsi Misenæ VI. Calend. Junii A. O. R. MDCCII.

JOA-

JOACHIMUS Camerarius, Christiano Lotichio S. S. D.

EN perfecta tui promissa fratris ab arte
Carmina - -

Sic enim mutare versus Maronis, compellanti te mihi, Christiane, visum, qui pollici, tus essem me operam daturum ut divinum opus carminum, Clarissimi V. fratris tui, summa exquisitæ artis cura, hic ederetur. Confido autem eum, a quo elaboratum jam illud est denuo, secundum designationem & præscriptionem tuam, declarasse diligentia

tia ſua, non modo ſe ſpe commendandi officinam ſuam, iſta præclare exprimendo, ſed incitatum etiam fuiſſe ſtudio elegantiſſimorum & eruditiſſimorum ſcriptorum fratris tui, ut plus attentionis adhiberet, & magis advigilaret ad luculentam hujus libri editionem. Sed hoc res ipſa oſtendet. Quod autem attinet ad vacua loca in Elegiis, quæ, ut ſignificaſti, vivus reliquiſſet imperfecta frater tuus conſideratione quadam, ut non vulgares ſententiæ collocatione verborum ſingulari ibi reponerentur: Ea, quemadmodum cenſuiſti, ita extant, tuumque candorem magnopere probo, qui illas veluti lacunas explere nolueris, neq; exiſtimo ferendam eſſe temeritatem ullius, qui id facere audeat. Niſi forte tan-

tanquam in veterum Poetarum ſcripto aliquo complendo experiri ſuas vires & exercere ingenium hoc ſtudio velit, ſuas quidem eſſe eas appendices teſtans, ut judicio eruditorum vel probentur, & improbentur. Quod ego adoleſcens in Theocriteis quibusdam cum facere eſſem aliquando conatus, immerito repræhendi comperi. Seb hæc alieniora ſunt. Quanti me fecerit clariſſ. vir frater tuus, non eſt, tibi, ac ne aliis quidem compluribus ignotum. Quæ de ipſo etiam mortuo eſſet exiſtimatio mea, & antea ſtudui intelligi, & ut quacunq; occaſione demonſtrem, deinceps annitar. Narrationem tuam de fortuna, quam variam incertamq; ſubiit frater tuus in ſua vita, quam policere, expectamus. Cæterorum

quo-

qvoqve ipsius scriptorum, qvæso te, videas, ut, qvicqvid potest, conqviratur. In qvo nostra sedulitas cum tua conjungetur. Neqve dubito, qvin facilè libellus alter tantus collectis his, exprimi possit; qvod ut separatim fiat, curabitur, ne qvis iterata renovandis prioribus editione gravetur. De eis verò, qvæ ante annum hic expressa prodierunt, cum non tam, qvod facere jure poteras, conqvestus nobiscum expostulasti, qvam scriptis amantissimè literis sententiam judiciumqve & voluntatem clariss. V. fratris tui, tuamq; exposuisti, tantum abest ut nos offenderis, ut gratiam etiam tibi deberi fateamur, præsertim hac navata opera, & laboris tui adjumento, ad hanc editionem allato. Cætera typographus magis adhuc diligens & assiduus atqve strenuus, qvàm fortunatus, si, ut existimo, te convenerit, coràm tecum aget. Vale, & me non minus nominis tui, qvàm fraterni studiosum esse tibi persvade. Iterũ vale, Lips. V. Cal. Sextil. An. C. Jesu M. D. LIII.

P. LO-

P. LOTICHII SECVNDI ELEGIARUM Liber primus.

AD JACOBUM MICYLLUM PRÆCEPTOREM.

Conqueritur, quod in primo ætatis flore relictis ſtudiis, militare cogatur.

ELEGIA I.

ME tenet hyberno ſub ſidere Mænalis urſæ,
Proxima Vandalico terra, Micylle, ſolo.
Flauus ubi torquens infidas Albis arenas
Labitur, Arctoas maximus inter aquas.
Finitimis Aquilo ſpirans animoſus ab oris,
Stridet, & immani turbine verrit humum.
Nec frugem ſegetes maturo tempore præbent,
Culta racemiferis nec viret uva jugis.
Namque fere media plus parte volubilis anni
Acris Hyperboreo frigore ſævit hyems.
Nunc autem tepidos Phœbus ſuperingerit ortus,
Blandaque Riphæum temperat aura gelu.
Arboribus frondes redeunt, & gramina campis,
Et lætis gremium frugibus ornat ager.

At pax dulcis abest, zephyrisq; tepentibus, hostes
In caput innocui Principis arma ferunt,
Nec mihi fas portas ultra procedere, nec me
Commoda purpurei veris in urbe juvant.
Ardua de solido stant propugnacula saxo,
Et novus inducta murus obitur aqua.
Agger & in vacuas præceps attollitur auras,
Densaque suggesta texta replentur humo.
Ipse novis equitum comitantibus imminet alis
Cæsar, & armati detinet hostis iter.
Interea lucent totis incendia campis,
Quo vocat errantes præda, vel ira, Duces.
Dissultant fremitu colles, & ferrea late
Pondera, sulphureis ignibus acta, volant.
Fortunate senex, tu mollia vere salubri
Ocia, quod toto pectore lætor, agis.
Nascentemq; diem decedentemq; salutas,
Nec rumpunt somnos classica pulsa tuos.
Nobis nulla quies, nec cum se condit in undas,
Nec cum sol versis mane recurrit equis.
Quam miserum est rigido cum milite ducere vitã,
Qui putat armata cuncta licere manu!
Est etiam socios illis iugulare voluptas,
Perq; vias dantur vulnera, perq; domos.
His comes in vallo, nudoq; sub æthere noctem
Exigo, & insomnes in statione vices.
Unde oculos tollens ad magni lumina mundi,
Sidera natali metior orta meo.

Lucidus

Lucidus hic geminas sinuosis flexibus Arctos
In morem liquidæ separat Anguis aquæ.
Illic Saturni contristat Pleiades astrum,
Orionq; alto mergitur Oceano.
Parte alia, terris tantorum caussa malorum,
Carceris obscuras Mars jacet ante fores.
Felix qui vidit meliores ætheris ignes,
Sive tuos Arcas, seu Venus alma tuos.
Non ego pro patria belli detrecto laborem
Degener, aut viso protinus hoste tremo.
Ire nec ad manes pro libertate recusem,
Dulce foret Reges inter, & arma mori.
Sed neq; jam celebres usquam virtutis honores,
Imperii nusquam, militiaq; decus.
Et jam fata ducum video, clademq; propinquam,
Nudaq; præsidiis oppida capta suis.
Hoc perdit nostras, hoc olim perdidit urbes,
Funditus infanda seditione ruunt.
Tu vero pacis custos, Phœbiq; sacerdos,
Argutæ fidicen culte Micylle lyræ:
Carminibus fac rite piis, ut tristia cessent
Exilia, & prædæ, sollicitusq; timor.
Pax castas secura domos, pax incolat urbes,
Pax olea canas cincta virente comas.
Hæc tu posce Deum sacras prostratus ad aras,
Perpetua detur sic tibi pace frui.

AD MELCHIOREM ZOBELLUM COMPATREM.

A militia dehortatio.

ELEGIA II.

SIc igitur dulces potuisti linquere Musas,
Martiaq; imprudens castra Zobelle sequi?
Et tibi jam tanti est artes cognoscere belli,
Et fera quo soleant prælia more geri?
Scilicet a teneris ut mercenarius annis
Vulnera consuescas servitiumq; pati,
Et subeas toties manifesta pericula vitæ,
Dum cava trrificis ictibus æra tonant.
Quam bene pugnabant olim, cum mœnia nondum
Turribus aut fossis oppida cincta forent.
Machina nec volucres torqueret aheneaglandes,
Sed gererent partes ensis & hasta suas.
Tunc clarum tibi magna parens Germania nomen,
Nostraq; libertas sangvine parta fuit.
Nunc tua dilacerant inimicæ viscera gentes,
Vendis & externis in tua damna fidem.
Ante tuos oculos ferro grassatur & igni
Barbarus, & Geticis Hunnus oberrat equis.
O pereant turres, fossæq; & inutile vallum:
Pax ades, aut virtus illa paterna redi.
Me juvat in studiis consumere dulcibus ævum,
Signaq; Musarum prosperiora sequi:

Et

Et quæ sera legat nostri non immemor ætas,
Carmina tranquillæ fingere pacis opus.
Sed tamen ausus eram validis quoq; nuper in ar-
Magnanimi custos ad latus ire Ducis. (mis,
Jam caput induueram galea frameamq; gerebam,
Aptus & huic lateri quilibet ensis erat.
Sed Dea, castaliis quæ maxima præsidet undis,
Non tulit & vultus constitit ante meos.
Constitit, & tenera florem miserata iuventæ,
Ergo, puer, fies tu quoque miles, ait?
Torta quid imbelles urget lorica lacertos?
Quid gravat ærata cuspidis hasta manum?
Jam populatrices inter potes ire catervas?
Jam longæ patiens esse sub axe viæ?
At (memini) nuper fera bella timere solebas,
Classicaq; insuetis auribus horror erant.
Unde novus rigor hic? unde illa ferocia venit?
Mitis honorata pacis amator ubi es?
Sed, puto, præda juvat, spoliisq; Aquilonis onustũ
Sublimem niveis fama reducet equis.
Quin meliora tibi solvemus præmia Musæ,
Præmia per raras ante petita manus.
Longa dies Regum turres consumit, & aurum,
Et spolia in templis, exuviæque ruunt.
At decus ingenii durat, vatumque labores:
I nunc & partas sangvine confer opes.
Adde, quod incerto Mars prælia turbine versat,
Casus & instabiles miscet utrinq; vices.

Ah teneris majus ne quis inveniliter annis
Audeat, & vires consulat ante suas.
Tempus erit, Pindum superans cum Cæsar, & Ha-
Figet in Odrysiis celsa trophæa jugis. (mum
Tunc si tantus amor belli, si tanta cupido est,
Acer in adversos ense licebit eas.
Terribiles nunc linque tubas, & castra, nec autor
Ante diem propera funeris esse tui.
His ego commotus dictis, vultuq; monentis,
Ite statim, dixi, castra tubæq; procul.
Rursus & Aonius color in mea pectora venit,
Ipsaq; devovi quæ prius arma tuli.
Difficile est tacitos natura abscondere motus,
Ponere difficile est quæ placuere diu.
Scilicet ingenuas mansuescunt corda per artes,
Nec rigidos mores esse Thalia sinit.
At tu, quandoquidem rerum sic impetus urget,
Et novus accendit pectora laudis amor:
I, tua quo, Zobelle, vocat te fervida virtus,
Et grave militiæ fer patienter onus.
Ne tamen, ah, densos vitæ contemtor in hostes
Irrue, scis quam sit dulce redire domum.
Tunc mihi narrabis, validas quis ceperit urbes
Primus, & hostiles fregerit ultor opes.
Qualiter adversis concurrant agmina signis,
Altaq; tormentis mœnia quassa ruant.
Et quæcunq; illis exhausta pericula terris:
Hunc celeri portet Lucifer Axe diem.

AD

AD JOANNEM ALTUM, in patriam redeuntem

ELEGIA III.

JAm Sol Aegocerum cœli regione sub imam
Lustrat & emeritos sistit anhelus equos.
Rura gelu contristat hyems, & noctis opacæ
Longior angustos efficit umbra dies.
Sævaq; discordes exercent prælia venti,
Nec liquidum radens labitur Altius iter.
In glacie puppes dura cum funibus hærent,
Et gelidam Boreas spargit ab axe nivem.
Cum tamen e gremio cras Tethyos ortus Eoæ
Lucifer & puleri lumina Solis erunt.
Iucundam sine me patriam, terrasq; revisis
Aedera quas liquidis findit amœnus aquis.
Aedera, qui vatis cunabula perfluit Hesti,
Et patriæ fines separat Alte tuæ.
Vade (nec invideo) melioribus utere fatis,
Nec tua crudelis vota moretur hyems.
Hactenus unus amor nobis, eademq; voluntas,
Lædere quam potuit nulla querela, fuit.
Scis equidem, nec sunt nemus antraq; nescia nostri
Quercus & annoso robore propter aquas.
Propter aquas pater Albi tuas, ubi densa per æstum
Molle viatori silua ministrat iter.
Illa diu nostros testabitur arbor amores,
Sive meo vivet munere, sive tuo.

Illic sæpe novum, vel sero vespere, carmen,
Vel matutinas legimus inter aves.
Sæpe (recordor enim) viridante duobus in herba,
Una quiescendi præbuit umbra locum.
Nunc ferus antiquis nos sedibus expulit hostis,
Jussit & exilio vertere dulce solum.
Jam nostras miles ripas, & gaudia nostra
Impia sacrilegi militis uxor habet.
Quinetiam pulcri decus & solatia ruris,
Flamma suburbanas funditus hausit opes.
Oppidaq;, & subitis captas incursibus arces,
In cineres uno vidimus ire die.
Quid loquar insidias, & quod confecimus una
Per loca solliciti plena timoris, iter.
Nullus amor tales unquam conjunxit amicos,
Nulla fides ulto fœdere tanta fuit.
Nunc quoq; non comitem tibi me quocunq; negarem,
Nec possem lacrymas, Alte, videre tuas.
Sed tibi perq; nives, perq; auctos prævius amnes,
Ventos despicerem, despiceremq; gelu.
Nobiscum dulces essent duo, tresve libelli,
Sarcina longinqua non onerosa via.
Sed Ducis imperium retinet, nec linquere signa
Aspera militiæ jura, fidesq; sinunt.
Ipse suos poscens hostes in prælia Cæsar
Fulminat, & campos alite quassat equo.
Ambiguisq; fremunt magnæ rumoribus urbes,
Spumifer indomita quas premit Albis aqua.

Clamq;

Clamq; suis tentant assciscere partibus illos,
Non bene de patria qui meruere, Duces.
Horrida nec brumæ securos frigora præstant,
Per glaciem miscent prælia, perq; nivem.
I tamen, & miseras tu, cui licet, effuge terras,
Militiæ consors hactenus Alte meæ.
Me procul a patria, primo sub flore juventæ,
Aspera cum duro Marte fatiget hyems.
At tibi iucundis contingat pacis amatæ
Artibus, & dulci semper amore frui.
Hæc ego: tu patriis etiam mox redditus oris,
Mutua pro reditu suscipe vota meo.

AD CHRISTIANUM LOTICHIUM FR.

De obitu Patris.

ELEGIA IIII.

Æquoris expertes dum vivo remotus ad Arctos,
Acre sub hyberno qua rigat axe gelu:
Signifis (haud multo minus est) duodena peregit
Qui regit æthereos, temporis autor, equos.
Interea semper me sors inimica fatigat,
Cunctaq; perpessis asperiora cadunt.
Aut gravis accensos febris depascitur artus,
Nec cessat variis excruciare modis.

Aut teneras vires ultra, meritumq; juvenæ,
Jactura cari temporis, arma gero.
Nunc etiam tristi consumptum morte parentem,
Nunciat a patrio fama relata solo.
Occidit infelix, dum me fera bella sequentem,
Albis ad indomitas castra morantur aquas.
At mihi felicem reditum, patre sospite, demens
Fingebam, niveos pace ferente dies.
Pax erit, & grave Martis opus perpessa juventus
Cingemus rigidas fronde virente comas.
Lætitiaq; frement alacres, plausuq; cohortes,
Signaq; pulverea scissa trahentur humo.
Et patrias pede quisq; vago tendemus ad oras,
Ipse petam ripas Cynthi vadose tuas.
Hic pater occurret nato, galeamq; resolvet,
Loricamq; humeris exuet ipse meis,
Famaq; cum fuerit parvam vulgata per urbem,
Confluet ad nostras undiq; turba fores.
Cum sene tunc, vitreis quæ perfluit Alera lymphis
Rura, vel humectat quæ meus Aura, colam.
Duraq; suspendens nigris e postibus arma,
Erroris statuam militiæq; modum.
Hæc mihi fingebam, rapientibus irrita ventis,
Solamen cunctis spes erat illa malis.
Aspera seu dubii certamina Martis adirem,
Armataq; foret vita tuenda manu.
Tormentis ve leves muralibus acta per auras,
Fulmineo quaterent saxa fragore solum.

Seu

Seu rapidos calidi perferrem sideris æstus,
Horrida seu brumæ frigora, sive famem.
Tu pater ærumnas omnes, casusq; levabas.
Fortis erat monitis nostra juventa tuis.
Te propter (nec enim me dicere vera pudebit)
Cautior in sævi turbine Martis eram.
Nunc miserande jaces, nec dextras jungere saltem
Extremum licuit funeris ante diem.
Ignes castrorum, vosq; hostibus undiq; cincti
Hercinii montes, Herciniæq; nives:
Vos eritis testes, casum me sortis acerbæ
Scire sub hyberno non potuisse polo.
Ecquis enim medios audax per Cæsaris enses,
Frigore concretas Albis adiret aquas?
Non mille excubiæ, non fulmina Martis, Iberi,
Non juga fecissent, nubibus æqva, moram.
Nec glacialis hyems, illudq; volatile telum,
Barbarus averso quod jacit Hunnus equo.
Per medios pietas gladios, mediosq; per ignes,
Monstrasset tutas prævia duxq; vias.
Si tamen & lacrymis cineres placantur & umbræ,
Placata es lacrymis, umbra paterna, meis.
Carminibus lacrymas addo, lacrymisq; dolorem.
Et galea madidas oculo sæpe genas.
Tu castos inter cœtus, animasq; piorum
Aetheris in pura luce beatus agis.
Unigenamq; Deum, majestatemq; verendam
Aspicis, æternis perfruerisq; bonis.

Nec veteres curat jam mens secura labores,
Usq; adeo dulcis corda serenat amor.
Illic parva suo notis alludit in ulnis
Neptis avo, matris sarcina prima suæ.
Et nuper viridi raptus mihi frater in æuo.
Cantat in amplexu carmina blanda tuo.
Carmina quæ cœlum, cœliq; volubilis orbes
Mulcent, ac niueos Solis euntis equos.
Felix morte sua, non cari funera vidit
Patris, & est sæuo passus ab hoste nihil.
Nos dolor, & vitæ mortalis inania versant
Somnia, & ambiguis spesq; timorq; modis
Nos desiderio luctus renouamus amaros,
Nec tristi cessant imbre madere genæ.
Nec te (spero equidem) genitor labentibus annis,
Spreta sub ignoto cespite condet humus.
Corpus & in cineres cum longa redegerit ætas,
Gloria natorum voce superstes eris.
Impositusq; super tumulum breue carmen habebis,
Ut tua visuris indicet ossa, lapis.
Quod superest, dum me retinent fera prælia, Frater,
Quo solo fulta est sospite nostra domus:
Interea matrem quæso, solare relictam,
Vivat, & ærumnas nesciat illa meas.
Tu quoq; militiam casus quicunq; sequetur,
Sive (quod heu vereor) sive redibo, vale.

AD

AD LUNAM.

Cum noctu iter faceret.

ELEGIA V.

DVm Brumale riget glaciali frigore cœlum,
In media facio tempore noctis iter.
Nec mihi nota via est, nec præbent sidera lucem,
Nixq; fatigatos impedit alta pedes.
Ergo pruinosa moderatrix Cynthia noctis,
Huc adhibe vultus officiosa tuos.
Caussa gravis cogit, dubij quod plena timoris
Per loca, dum tenebris cuncta teguntur, eo.
At mihi quid prodest, solida quod imagine fulges,
Lucida cum densis nubibus ora tegas?
Non ego furta paro belli, non proditor erro,
Facta latebrosa nil mea noctis egent.
Forte pudet rosei maculas ostendere vultus,
Cum sis orbe magis versicolore decens.
Non te purpureo circundata vincit amictu,
Incipit æthereæ quæ Dea lucis iter.
Nec similes vultus, prælata duabus in Ida,
(Pace loqvor veneris) mater Amoris habet.
Exere portantes radiantia lumina bigas,
Neve mea dici caussa merere necis.
Nam coacervatas (vos alta silentia testor)
Qvis dabit his tenebris exuperare nives?
Nulla pedum video vestigia, nulla rotarum,
Et piceis cœlum nubibus omne latet.

At memini, cæca cum fretus munere noctis,
Nuper amans foribus serta daturus eram:
Cuncta serenato removebas nubila cœlo,
Proditus & per te fabula mane fui-
Nunc radiis fulge, stirps o Latonia, puris,
Si careas illis, quis tuus usus erit?
Fallor? an es magicas cœlo deducta per artes,
Teq; reluctantem carmen, & herba trahunt?
Nunc resonare cavis tinnitibus aera vellem,
Ut ferrent, qvoniam ferre putantur, opem.
Fallor, in occulto te pastor Latmius antro
Detinet, oblitam scandere rursus equos.
Deliciasq; facis molles, & sedula curas,
Dum roseas illi stat sopor ante genas.
Scande rotas iterum, soror o pulcherrima Phœbi,
An puerum mulcens te quoq; somnus habet?
En etiam nostros tandem miserata labores,
Cæruleas variant astra minora vias.
Jam Tegeæa micat virgo, quiq; aurea custos
Raptus ab Arcadiis venit in astra jugis.
Andromedeq; suis nondum resoluta cathenis,
Et Cepheus genitor, Cassiopeq; parens,
Quiq; datis findens olim talaribus auras,
Per liquidum Perseus aera fecit iter.
Non ego jactandas humeris desidero pennas,
Sparge jubar tantum, protinus ales ero.
Aut plus, aut medios nox attigit humida cursus,
Et maris occidui Pleïas intrat aquas,

Culmen

Culmen & ascendit, qui vexit Ariona, Delphin,
Vatibus assidue ferre paratus opem.
Exere conspicuos nunc, o plenissima, vultus,
Exere, nec capiti frigida parce meo.
Sic neq; te magica confundant murmura linguæ,
Dira nec Æmoniis pabula nata jugis,
Nec mala vicinæ lædant contagia terræ,
Ambrosiaque leves semper alantur equi.
Ipse potestatesq; tuas, tua nomina dicam,
Mille potestates, nomina mille canam.
Jamq; repurgatis argentea nubibus exis,
Læta repercussa luce refulget humus.
O mihi si positis faveant Aquilonibus auræ,
Ordine per laudes dum juvat ire tuas.
Tu veneranda poli Regina, sequentibus astris,
Conspicuos rutilo ducis in axe choros.
Et licet e cunctis, quæ sustinet aureus æther,
Terras aspicias e propiore loco:
Nota tamen quod sunt, nec inobservata feruntur,
Sidera, cum fixis, irrequieta, tuum est,
Nullaq; te possunt rapido prævertere cursu,
Orbita sæpe licet summa retardet iter.
Nec tibi par, quamvis nectat talaria plantis,
Atlantis magni, Pleionesque nepos.
Hoc quoq;, quod tecum rutilos communicat ignes
Sol oculus mundi, gloria magna tua est.
Mensibus implebas tu prisci temporis annos,
Dum populus sapiens, dum novus orbis erat.

Tu varios sumis, reparando cornua vultus,
Arbitrium q̃ viæ liberioris habes.
Nam modò cum rigido gelidos Aqvilone Triones,
Nunc petis humenti proxima signa Noto.
Sic qvibus vtiliter præbes nascentibus ignes,
Non sinis obscuros laudis habere nihil.
Tu qvoq; scis (nec culpa tua est) scis optima Phœbe,
Cur toties longas cogor inire vias.
Vis tua, qvæ cælum, qvæ magnus continet aër,
Temperat, & terras, & moderatur aqvas.
Æstuat hinc undis refluentibus Amphitrite,
Paulatim primo deficiente mari.
Hinc pecus, aqvoreumq; genus, volucresq̃ canoræ,
Qvæq̃ creat tellus, luxuriare solent.
Omnia tu succis vires augentibus imples,
Aptaq̃ nascendis semina rebus alis.
Nec mihi qvis Phœbi persuadeat artibus vti,
Ni tuus haud dubias det favor antè notas.
Cortice nec fisso teneros insigere ramos:
Nec patulas curva cedere falce comas.
Qvid loqvar, ut nautis, & amœna colentib. arva,
Significes imbres pallida, rubra Notos.
Tu potes æthereas abrumpere nubibus undas,
Carceris Æolij tu reserare fores.
Tu qvoq̃ ventris onus gravidi parientibus aufers,
Unde dat & merito numina lucis habes.
Tu Dea sub terra positi clarissima mundi
Persephone fratri consociata Iovis.

Nec

Nec levis ira tua est, quem tu premis, ore frementi,
Pronus agit spumas, & pede tundit humum.
Diva potens nemorum, debellatrixq; ferarum,
Te juvet Armeniis tigribus esse trucem.
Fac, timor ut vacuas omnis vanescat in auras,
Humanisq; fave, non metuenda, bonis.
Sed bene habet venit (ecce) venit, lux ecce propinquat,
Clarus ab Eoo Lucifer orbe venit.
Lucifer astrorum salve decus ortaq; nigri
Memnonis a Pelago, te duce, mater eat.
Ipse dabo lucem, vigilata nocte, quieti:
Nox ita finita est, & via: Luna vale.

AD MICHAELEM BEUTHERUM,

De se ægrotante.

ELEGIA VI.

JAm tepet a zephyris iterum spirantibus aer,
Blandaq; purpurei tempora veris eunt.
Fugit hyems adoperta gelu, Boreæq; furentis
Frigore concretas Sol liquefecit aquas.
Alma parens læto se vestit cespite tellus,
Arbor & umbrosus induit alta comas.
Et nemorum solamen avis sub fronde latentem
Unguibus & docili construit ore larem.

Agri-

Agricolamq; seges molli delectat in herba,
Heu seges hic domino non resecanda suo.
Sed trucis hoc belli vitium est, frugesque recentes
Prædator celeri proterit Hunnus equo.
Verè nitent sulci, ver mollibus utile pratis,
Natus & aprici tempore veris amor.
Cultus ager pecori victum, custodibus umbram
Sufficit herbosi vallis opaca soli.
Dumque levi tenerum meditatur arundine carmen
Pastor & alternis ludit avena modis:
Luxuriant, saliuntque greges, & sæpe canentis
Rustica balatu carmina rumpit ovis,
Interea tacitos calor ossibus excitat ignes,
Ipsaq; cum tota corpora mente vigent.
Ergo erat, ut patriam (reditum si fata dedissent)
Hyberno peterem non remorante gelu.
Aut doctis viridi Musis operatus in ævo,
Niterer ingenio nomen habere meo.
Forsitan & nitidos olim pro casside crines
Ambiret foliis Laurus odora suis.
Nunc jaceo cunctis defectus viribus ager,
Solus in ignotis miles inopsque locis.
Omne perit juvenile decus, totumque perurit,
Immensus lateris, non sine febre, dolor.
Deficit & ducens vitales spiritus auras,
Oraque vix præstant arida vocis iter.
Scilicet hæc mortis dantur mihi signa propingua.
Viximus, exacto tempore, fata vocant.

At

At non hoc olim puerum sperare jubebat
Fatidico celebris Noricus ore senex,
Sed fore qui seros famam proferret in annos,
Sacraretq; alta nomen in arce suum.
Astra sefelierunt, primoque in flore juventæ
Auferor heu fallax & breve vita bonum.
Non mihi jam patriæ superest spes ulta videndæ,
Manibus hæc tellus est habitanda meis.
Ergo nec in nota saltem regione quiescam,
Nec monumenta meum corpus avita tegent?
Qua pater ilicibus ripam prætexit, & alnis
Cynthius, & leni murmurat unda sono,
O mihi si gelidæ rigui de fonte petitus
Acidis, has fauces haustus inundet aquæ.
Quam juvat herboso versare in cespite corpus?
O ripæ medio dulce cubile die.
Frigida Pegasides vestro date pocula Vati,
Utilis ut rapido me levet igne liqvor.
Ferte salutiferas herbas, & siqua per orbem
Gramina Pæoniis usibus apta virent.
Me miserum, quanto succensus torqueor æstu?
Quam rapidos ictus sentit utrumque latus?
Nec cibus ora juvat, nec mulcet lumina somnus,
Astra licet prono fessa Boote cadant.
Cuncta silent, carpunt hominesq; feræque soporem,
Densaque compositas occulit arbor aves.
Sola dolet mecum, nostras imitata querelas,
Et plenum gemitus dat Philomela sonum.

Hor-

Hortorumq; sedens vicinis abdita ramis,
Arguto varios integrat ore modos.
Carminibus sua fata levat, felicior ales
Daulias, invalido nil opis illa ferunt.
Nil artes, herbaq; valent, succiq; potentes,
Nil placidum cœli tempus, & aura juvant.
Testor, amice, Deos, fortunatosq; piorum,
Vos adeo manes, Elysiumq; nemus:
Non ego, quod rapior primis inglorius annis,
Fata moror, quamvis vincere dulce foret.
Tu facis, ah miseranda parens, tua serior ætas,
Tempus in exiguum cur superesse velim.
Ne tanti tibi morte mea sim caussa doloris,
Et desolata certa ruina domus.
Si tamen importuna feret me Parca, leguntq;
Ultima fatales hîc mihi filæ Deæ:
Officium saltem tumulo largire supremum,
Cum repetes patriæ, culte Poëta, solum.
Ossaq; præteriens ne calcet operta viator,
Fac lapis inscriptis indicet illa notis,
Et duo sint versus: Hic militis ossa secundi,
Ipsaq; pro patria quæ tulit, arma jacent.
Perfer & hæc misera mandata novissima matri,
Ne violet lacrimis gaudia nostra suis.
Nec tibi apud superos sit vilis fama sepulti,
Floreat in libris sed diuturna tuis.
Illam post obitus lucis solamen ademta
Si mereor, cineres spem sine ferre meos.

Tunc

Tunc ego non Pario casum de marmore bustum,
Gentis odorifera nec mihi dona velim.
Sed latus pietate tua, divisa beatis
Manibus Elysii sancta vireta colam.
Arentemque sitim relevans felicibus undis,
Ipsius ex vita fonte perenne bibam.
Cara vale genitrix, & tu germane sororque,
Et memor absentis si quis amicus eris.
Tuque loci, vates consors natalis, & agro
Terra mihi patria non repetenda, vale.

AD JOANNEM HAGIUM FRANCUM.

Quod Dei Opt. Max. beneficio a gravissimo morbo sit liberatus.

ELEGIA VII.

VOta movent superos (expertis credere dignum est)
Vota Deos, Hagi, sint modo justa, movent.
Nam modo cum rapida correptus febre jacerem,
Sævaq; torreret debile flamma latus.
Optimus extrema Pater ipso in limine mortis,
Audiit intenta supplicis aure preces.
Mæstus eram, largisque genas, lectumque rigabam
Fletibus, ante oculos mors erat atra meos.
Ante meos oculos stulta commissa juventa,
Et nigra sulphurea stagna paludis erant.

Alma

Alma tamen pietas animum sperare jubebat,
Supplicibus mitem sontibus esse Deum.
Ergo dolens imo suspiria corde trahebam,
Fundebamq; humili talia verba sono.
Vnica progenies æterni, Christe, Parentis,
Omnis ab æterno fons, & origo boni.
Hos precor exaudi gemitus, huc tende potentem
Aetheris excelsa de Regione manum.
Nil agitur succis, ad opemq; potentibus herbis,
Quas parit omnifero terra benigna sinu.
Tu potes exhaustas in pristina reddere vires,
Languida tu vivo membra liquore riga.
Tum quoque cum terras habitares, diceris ægris
Sæpe lubens medicas applicuisse manus.
Quod tua si, genitor, non fert ita sancta voluntas,
Et datus est vitæ terminus iste meæ:
Una salus animæ petitur mihi, cætera tellus
Ad gelidi liquidas contegat Albis aquas.
Christe fave, cujus sanguis delevit in alto
Collis oliviferi crimina nostra jugo.
Restice me, tenues cum spiritus ibit in auras,
Nec mihi sit mortis munus inane tua.
Sed quid erit quæso, tua si benefacta canentem
Tam cito Persephone cogat acerba mori?
Ecquid apud manes, inamænaq; regna silentum,
Grata resolvemus laudibus ora tuis?
Lenis ades potius, veniasq; salutifer ægro,
Tu quoniam mitis, non quia dignus ego.

Ipse

Ipse tibi meritas solenni carmine grates,
Munere pro vita, muneris autor, agam.
Ipse coronabo sertis halantibus aras,
Et dicam laudes, quo precor, ore tuas.
Talibus orantem cœlo miseratus ab alto est,
Cui pater in solio jus dedit omne suo.
Jamq; fugit macies, discedit corpore pallor,
Membrorumq; redit, qui fuit ante, vigor.
Nec lateris cruciatus adest, & anhela recessit
Febris, & ora minus torret amara sitis.
Hausta nec alliciunt dulces medicamina somnos,
Sponte sua facilis, non eget arte sopor.
Quinetiam cultis assuesco rursus in hortis
Aere paulatim liberiore frui.
Agnoscunt zephyri reducem, viridiq; sub umbra,
Blanditur lateri mollior aura meo.
Argutaq; pia volucres me voce salutant,
Gratariq; vagæ lympha videtur aquæ.
Ergo reus voti, quid agam? quæ dona rependam?
Quo tibi, summe Pater, munere gratus ero?
Non dabimus Costum, succumve liquentis Amomi,
Nec te Panchai thuris honore colam.
Grata tibi mens labe carens, & honesta voluntas,
Inq; tui flagrans agnitione fides.
Summe Pater, soboleq; Patris, consorsq; duorum
Spiritus, in trino numine numen idem.
Omnipotens, cujus divina potentia finem
Non habet, æternum laus sit honorq; tibi.

Non

Non medicaminibus, non sum servatus ab herbis,
Nullis meis radix usibus apta fuit.
Tu facis ut videam cœlum, jucundaq; Solis
Lumina, qvod reditum spero, loqvorq;, tuum est.
Idcirco, Lux alma, tuo dum munere vivam,
Ingenium soli serviet omne tibi.
Quantaq; tegeneris teneat miseratio nostri,
Cum liquet erroris pœnituisse, caram.
Supplicibus te, sancte Pater, placabo querelis,
Et citharæ lacrimis fila rigabo meis.
Tu modo, quæ nunc mota fremunt, fac dira quiescant
Bella, sit exilii, militiæq; modus.
Tunc Jessæa tibi, pacis dator alme, juvabit
Dulcius argutæ plectra movere lyræ.

AD SYLVAS PROPE ALBIM FL.

De diuturnitate belli, & hostium crudelitate.

ELEGIA VIII.

Justa queror, quamvis nil proficientia fundam
Nubibus, & zephyri verba caduca ferant.
En iterum sylvæ, nostras audite querelas,
Crescе iterum lacrymis, spumifer Albi, meis.
Nam gravius tacitis mens carpitur anxia curis,
At mihi, cui referam, nullus amicus adest.

Vos

Vos Coryli, vos hæc memores ediscite Fagi,
Testis & e celsis assonet aura jugis.
Qua merui culpa tam sæuam numinis iram?
Quæ conjurarunt in caput astra meum?
Cultor Apollineæ modo qui placidissimus artis,
Aspera, cum lituis bella perosus eram,
Nunc agor insanis violenti Martis in armis,
Vix numerans vitæ bis duo lustra meæ.
Ingrediorq; fero tenerum latus ense revinctus,
Ense lacessitas instruo sæpe manus.
Asperitasq; mihi simulatur, & opto timeri,
Et meditor rigidis moribus esse ferox.
Scilicet idcirco fessos ætate parentes,
Infelix patruum deseruiq; senem:
Ne mihi cum sacris essent commercia Musis
Amplius, & vulgi pars rudis una forem?
Hoc aliqvis nuper si prædixisset eunti:
Miles in his terris, quas petis, arma gereres.
Tu quoq; dixissem, pelago licet altior, Arctos,
Occidui vetitas in maris ibis aqvas.
Parrhasides liquido vos æquore tingite stellæ,
Arma peregrino miles in orbe gero.
Vos ego nunc dulces, qui me defletis, amici,
Admonitos jubeo casibus esse meis.
Disce memor sortis, quisquis sapis, esse futuræ,
Ire solet pulso nubila sole dies.
Temporis, Aonides juvat, o meminisse beati,
Omnia quo tutæ plena quietis erant.

Cum tenerae passim choreae, cantusq; sonarent,
Nec fera materiam carminis arma darent.
Quid mihi vobiscum est, infamia Cæsaris, Hunni?
Cur niger Arctoas potat Iberus aquas?
Quisquis es, invisum te semper Erynnies atra,
Ultrices diræ proditionis, agant.
Qui placidam furiis populi turbare quietem
Ausus es, & castris hos sociare tuis.
Quod precor, eveniet, movere cacumina quercus,
Sylvaq; concussis annuit alta comis.
In patriæ clades, ignominiamq; ruentis,
Dic age, civilis non satis ensis erat?
Cor dolet, ac penitus tremor intima concutit ossa,
Cum subeunt oculis omnia visa meis.
Quanta sitis nostri stricto semel ense cruoris?
Quantus in immani pectore cædis amor?
Morte pia graviora timent, fugiuntq; puellæ,
Inq; sinu matres pignora cara gerunt.
Ah quoties, dum lustra ferunt per devia gressus,
Incitat a tergo qualibet aura metum.
Ah quoties, strepitum ramis facientibus altis,
Hostiles aliquis credit adesse pedes.
Interea Scythicis equitum de finibus alæ,
Squalida funestis cædibus arva replent.
Ignibus intonsi montes, campiq; relucent,
Ferreus est, eheu, quem nihil ista movent.
At simul e specula turmalis buccina signum
Edidit, & litui, rauca q; terga sonant:

Licet

Licet arma fremunt; omnes, arma, arma frequentant,
Unáq; per muros vox sonat, hostis adest.
Hostis adest, vox una sonat, simul ærea late
Pondera tormentis grandibus acta, volant.
Inde ruit miles, veluti de montibus altis
Ille canum sævis morsibus actus aper.
Nam dolor ardentes justissimus incitat iras,
Conscia mens animos adjuvat, ira manus.
Sed pavidus viso, dat inertia milite terga
Hunnus, & admissos calce fatigat equos.
Tollitur ad cœlum densa caligine pulvis,
Ictaq; quadrupedum cursibus arva tremunt.
Mox redeunt matres fessæ, pavidæq; puellæ,
Sive nemus latebras, seu dedit alta seges.
Aspiciuntq; sua fumantia culmina villæ,
Nec quisquam flammis addere curat aquas.
Sed veluti lacrymæ sedare incendia possint,
Ex oculis tanquam fonte, perenne fluunt.
Hæc miseris superest, post omnia, sola voluptas,
Hostis inhumana de feritate queri.
Hinc artus laceri, vacuosq; inventa per agros
Corpora, natali defodiuntur humo.
Felices animæ, parta jam pace, quiescunt
In patria, pro qua non timuere mori.
Nos spes ambiguæ, tumultiq; ante ora recentes,
Discrutiant variis, & labor ipse modis.
Nec minus interea fugit, heu, fugit utilis ætas,
Quodq; semel periit, fata redire negant.

Ergo nec Aoniæ cingent mea tempora Lauri,
Carmina nec ductis vatibus æqua canam.
Hoc etiam (quoniam tulimus pejora) feremus,
Si modo non bello nos graviora manent.
Heu mihi, quæ duris vox rupibus icta resultat?
Triste quid hoc iterant concava saxa? manent.
Nil læti superest, ostentant omnia luctus,
Nescio quæ clades sera, sed ampla, venit.
Hoc erat, hesternæ quod turbida noctis imago,
Mæsta quod obscænæ signa dedistis aves.
Tu tamen hæc serva nostri monumenta doloris
Arbor, & incisis crescе videnda notis.
Quas aliqvis viridi spectans in cortice, tempus
Militiæ possit flebile scire meæ.
Sortis & admonitus præsentis, fletibus herbas
Sæpe meis sparsas, spargat & ipse suis.
Qvid qveror infelix? sine pondere verba qverentis
In pelagus rapidis devehit Albis aquis.
Sic iterum, sic sæpe tamen juvat edere questus,
Hos mihi cum bello finiet una dies.

AD JOHANNEM VARUM.

De prodigiis ante pugnam inter Imp. Carolum, & Joannem Fridericum.

ELEGIA IX.

NUnc ego, nunc dubii vereor certamina Martis,
Vare, nec a castris segnis abesse velim.

Stant

Stant acies, certe pugnabitur, horrida terrent
Prodigia, heu fatis tristibus orta dies.
Lucida sanguineis Aurora jugalibus exit,
Prævia nec faustum stella ministrat iter.
Talis erat facies, Phrygiis cum Memnona campis
Vidit Achillea cuspide diva mori.
Sol quoq; prætexens atra ferrugine frontem,
Horrificis mœstus nubibus abdit equos.
Nec guttæ frustra toties cecidere cruentæ,
Et seges in campis sangvinolenta fuit.
Terribilemq; ferunt (quod dii precor omen in hostem
Vertite) per nubes arma dedisse sonum.
Albi pater, pater Albi, tuo quot corpora volves
Gurgite? cæsorum quantus acervus erit?
Forsan & e nobis aliquem nil tale putantem,
Tristia crudeli fata sub hoste manent.
Exitus in Diis est: sed enim ruit acer in armis
Cantaber, invictas gens habet illa manus:
Utq; alios taceam, dic quæso, ferocibus Hunnis
Ecqua sub Arctoo sævior axe fera est?
Hos tu, Vare, cave, lateriq; sodalis adhære,
Nulla mihi vitæ, te sine, cura meæ.
Jamq; tubæ, lituiq; sonant, lacrymosa valete
Omina, pro patria dulce piumq; mori.

AD CHRISTOPHORUM Herdesianum Jureconsultum.

ELEGIA X.

Esse per insidias iter, Herdesiane, monebam,
Dicebam toties, Hoc iter omne cave.
Tu tamen obsessas peregrinæ milite gentis
Ausus es, invitis omnibus, ire vias.
Obstupui, subitaq; tremens formidine, sensi
Pectus (ut audivi) diriguisse metu.
Omnia namq; mihi comitum pars una tuorum
Nuper ad Albiacas rettulit hospes aquas.
Purpureo cœlum jam Sol reseraverat ortu,
Nocturnoq; vigil munere functus eram.
Mœnibus egressus ripa viridante jacebam,
Militiæ deflens tædia longa meæ,
Ecce levi remo se matutinus agebat,
Nescio, quis patriæ de regione tuæ.
Factus erat propior, surgo, nautamq; saluto,
Ense latus cinctum est, hasta jacebat humi.
Protinus agnosco juvenem, quo nullus ad Arctum
Doctior argutæ fila movere lyræ,
Franciscum, cui Pierides, nisi bella fuissent,
Cinxissent Lauri fronde virente comam.
Ille tuos casus referebat, & hostis amicam
Ipsius in diræ limine mortis opem.
Castra petebamus (lacrymans dicebat) & urbem,
Qua sale durandas Hala ministrat aquas.
Non procul hinc locus est, ubi spumifer ilice densum
Perfluit undoso gurgite Sala nemus.
Illic cum gelida fessi cessamus in umbra,
Dum levat irrigui fluminis unda sitim:

Ecce

Ecce minax, strictisq; ferox mucronibus hostis
Ad liquidas, præda, tendit onustus, aquas.
Hostis agens captosque greges, armentaq; secum,
Indigenæ miseras rura colentis opes.
Jamq; propinquabant, jam nos clamore premebant,
Nulla fugæ ratio, nulla salutis erat.
Dum tamen & pecudes, onerosaq; præda sequentes
Vallis & assiduis nuda moratur aquis:
Montis & oppositi (miserabile) nitimur altum,
Ut quibus est cursu vita tuenda, jugum,
Lustraq; scrutamur nigrantibus abdita sylvis,
Et minus invisæ quæ loca lucis habent:
Vertitur ante oculos lacrymosæ cædis imago;
Et suus arbustis omnibus horror inest.
Sic ingrata dies, sic tota sub æthere nudo,
Nox in desertis rupibus acta fuit.
Interea non ulla cibi, non montibus illis
Ulla vel exigui copia fontis erat.
Auribus accipimus vulgi lamenta per umbram,
Pulsaq; nocturnis questibus antra sonant.
Deflet uterq; parens natos, natiq; parentes,
Vir mala dilectæ conjugis, illa viri.
Parvus & in dumis puer a genitrice relictus,
Mater io sylvis abdita, clamat, ubi es?
Mater io, si vivis, ubi es? Quis talia siccis
Audiat, aut possit commemorare genis?
Sole recens orto, montes, nemorumq; latebras
Linquimus, & superis vota, precesq; damus.

Ventum erat in campum, redit hostis, & ecce cohortis
Ductor, anhelanti nos petit acer equo.
Stamus, & Aonia cultores dicimus artis,
Immunes belli nos habuisse manus.
Nomen ad Aonidum, Juvenes confidite, dixit,
Nos etiam mites erudiere Deæ.
Quod si forte procul vestras pervenit ad aures,
Sincerus priscis Actius ortus avis.
Actius Hesperiis fama bene notus in oris,
Finguia Sebethi qua rigat arva liquor.
Illi ego me veteri consangvinitate propinquum
Glorior, & vates, Vatis amicus, amo.
Impia nec præda me traxit in arma cupido,
Cum populis terras cura videre fuit.
Sic ait, & nobis, ubi Cæsar agebat, in urbem
Exhibuit tutas ipse cohorsq; vias.
Talia narrabat, lacrymisq; fluentibus, ambo
Duximus in longas tristia verba moras.
Dic tamen, o juvenis, tantis erepte periclis,
Quo mihi nunc rapto vivere triste foret:
Ante tuos oculos cum tela necemque videres,
Quid tibi tunc animi, quis color oris erat?
Ergo reliquisses jucundas laminis oras,
Ni pia cultori Musa tulisset opem?
Forsitan & nostri memor ipsa in morte fuisti,
Convertens vultus huc per inane tuos.
Dixistiq; vale, pars quisquis es una meorum,
Ultima lux oculis est hodierna meis.

Hac

Hæc mihi narrabis, cum mœnia vestra revisam,

Namq; iterum dulci Musarum tangor amore,
Et me jam belli militiæq; pudet.
Quod nisi me fallant animi præsagia, tecum
Erigonen quando Phœbus adibit, ero.
Tunc viridi mecum residens in gramine, tuto
Omnia depones auribus illa meis.
O mihi lætitiam, cum pace, datura perennem,
Fortunata mihi terq; quaterq; dies.
Martia qua signis fulgentia castra relinquam,
Castra sub hyberno quæ vidit ursa polo.
Vosq; per Aonios sequar, o mea gaudia, montes,
Inventor citharæ Phœbe, novemque Deæ.
Alloquar & dulces, quibus ante fruebar, amicos,
O mihi solennis semper habenda dies.
Hanc celeri genitrix ut Memnonis afferat ortu,
Adde tuas nostris, Herdesiane, preces.

AD AMICOS.

De suo in patriam reditu facta jam pace.

ELEGIA XI.

CIngite io Lauri, ter io me cingite Lauri
Tempora, finito prœlia Marte silent.
Nunc funesta mihi (vix possum credere tantum)
Arma licet, facta pace, referre domum.

Nunc scio: tranquilla quam sint bona commoda pacis,
Bellaq; sint terris quale cruenta malum.
Proderit hoc olim prima didicisse juventa,
Martis in expertis dulce videtur opus.
Este salutati, quos sum complexus, amici,
Sive quis in studiis, seu tulit arma simul.
Vos ego nunc, animi pars nostri magna, relinquam,
Natalis repetens dulcia rura soli.
Castra valete, valete enses, vale hospita tellus,
Et nemus, & lacrymis conscia ripa meis.
Vos quoq; consortes operum, quos nuper acerbo
Funere Mars hausit turbidus ante diem.
Illustres salvete anima, longumq; valete,
Tuq; sed (heu) fractis cornibus, Albi vale,
At tu parce, precor, subjectis, inclyte Cæsar,
Humanæ factus sortis ab hoste memor.
Gloria victori est victis donare salutem,
Nec crimen, quicquid non bene cessit, habet.
Læta volubilibus victoria passibus errat,
Et magni reges, & cecidere duces.
Fallor? an incipiunt alti subsidere montes?
Spirat & e patriis lenior aura jugis?
Salve dulce solum, non mitis, & optima rerum
Pax tibi, non agri fertilis uber abest.
Non tibi prata suis desunt rorantia rivis,
Uberaquiq; ferunt nectare plena greges.
O quoties ego Cynthi tuas placidissime lymphas
Optavi, quoties herbifer Aci tuas?

In

In ſomnis quoties gelidos haurire liquores
Viſus, & herboſo pellere fonte ſitim?
Cum mihi ſuccenſas torreret anhela medullas
Febris, & ante oculos mors foret atra meos.
Salve terra mea ſervans cunabula gentis,
Terra potens æquo iure, Deumq; metu-
Serior his utinam me vallibus occupet ætas,
Quas olim veteres incoluſtis avi.
Nec mihi deficiant hortus fidiq; ſodales,
Nec liquor, in patriis quem tulit uva jugis.
Nec lyra, maturis vires adimentibus annis
Triſte ſenectutis quæ leve reddat onus.
Pegaſides, requies curarum ſola mearum,
Vos ego quod ſupereſt tempus in omne colam.
Vos date Caſtaliæ, Vatum pia numina, veſtro
Plena ſacerdoti pocula rurſus aquæ.
Nec mihi ſit damno, quod me lacrymoſa coegit
Prælia deſerto Mars Helicone ſequi.
Non ego ſuppoſui tectis inſonibus ignes,
Facta nec injuſta eſt dextera cæde nocens.
Et licet ad magnos victoria flexerit hoſtes,
Arma tamen cauſſa pro meliore tuli.
Vos quoq; ſum lituos inter veneratus, & enſes,
Quodq; fuit vacuum tempus ab hoſte, dedi.
Deq; tot amiſſis etiam nunc pauca ſuperſunt,
Carmina, militiæ tempore facta meæ.
Vade agedum, conſueſce legi, manibusq; teneri,
Parve, ſed autori care libelle tuo.

Non

Non ego te viridi genui projectus in umbra,
Ocia quæ sacris Vatibus esse solent,
Sed trepidas inter pugnas, dum Carolus armis
Cæsar ad infaustas fulminat Albis aquas.
Tu mihi curarum requies, tu dulce laborum
Sæpe vel obscura nocte, levamen eras.
Qualiscunq; meis vivas diuturnior annis,
Perq; manus seræ posteritatis eas.
Aspera cum numeris gravioribus arma valete,
Pax juvat, in teneris sint mea regna modis.

P. LOTICHII SECUNDI ELEGIARUM.

Liber Secundus.

AD MATTHIAM STOium Borussum.

ELEGIA I.

ECce novum Vatem, pulcra cum matre Cupido,
Uror, & en gressus in tua castra fero.

Arma

Arma prius gelida (ne me contemne) sub Arcto,
Turbine sic rigidi Martis agente, tuli.
Nunc quia pax facta est, tibi florida serviat ætas,
Pace Venus læta est, pacis alumnus Amor.
Sic ego : cum tenero sic alma Cupidine mater,
Militiæ princeps tu mihi, dixit, eris.
Non tamen hoc galeam bellum, non postulat hastam,
Cingere sanguineo nil opus ense latus.
Pax erit, & roseis degens in odoribus ævum,
Candida perpetui tempora veris ages.
Hactenus : & viridi cinxit mea tempora Myrtho,
Et, leviter ridens, hæc, ait, arma geres.
Exolvit promissa Venus, feliciter arsi,
Inque meo nullum crimen amore fuit.
Quin etiam voti compos nova carmina feci :
At cito lætitiæ nunc mihi finis adest.
Et merito quid enim frangens mea commoda fugi?
Utilius fuerat non habuisse pedes
Nunc & Amor gravius, quia signa reliquimus, urit,
Et rapido longas vindicat igne vias.
Pollicitisq; fidem jubet addere mater Amoris,
Concutit & sævas, ne sit inulta, faces.
Nonne fuit melius dominæ servire puellæ,
Cernere quam tumidi littus utrumque maris?
Quid mihi cum pelago, mea si tellure morantur
Gaudia, si puppis non vehit una duos?
Cærula mutandis haud mercibus æquora sulco,
Terra satis magnas culta ministrat opes.

Nec

Nec zephyros nautis opto, sed amantibus aptos:
Quid mihi cum pelago, si meus ignis abest?
Parce tuo vati (nam sum tuus) alma Dione:
Scis Dea, scis votis crimen abesse meis.
Sancte puer, pueriq; parens, avertite curas,
Digna parens puero, digne parente puer.
Vos quoq; Nereides, veteres extinguite flammas,
Siqua viret toto, quæ juvet, herba mari.
Pro quibus occultos vobis ego matris aquosæ
Tethyos amplexus, Oceaniq; canam.
Vosq; fatigatos cœlesti gramine dicam
Axe sub Hesperio pascere solis equos.
Vana precor, surdum votis obmurmurat æquor:
Hei mihi tranquillum, quod peto, littus ubi est?
Torqueor, & cunctas violentius uror in horas,
Arida ceu calidis uritur alga focis.
Felix ante alios, patriæ decus, optime Stoi,
O caput arumnis sæpe fidele meis.
Tu modo præsentes morbis, quibus uteris, herbas
Colligis, & succos conficis inde suos.
Et modo pastorum viridi convivia sub umbra,
Concinis argutis carmen agreste modis.
Interea gelidis in vallibus aura susurrat,
Lenit & ardores spiritus ille tuos.
Felix, qui molles trahis abditus arbore somnos,
Quos leve conciliat murmur euntis aquæ.
Me Venus incertis agit imperiosa procellis,
Ut rapit instabiles æstus in alta rates.

Hinc

Hinc est, quod dulcis nec carpo dona iuventa,
Ex humili nec me carmine Musa levat.
Quin prius in numeros faciles quæ sponte fluebant,
Vix coeunt justis verba coacta modis.
Non tamen indignor, merui quoq; forte, sed angi
Non merui tantis, nec sine fine malis.
Non ego te, mea Lux, deceptam fraude reliqui,
Non spolium rapto turpe pudore tuli.
Dii mihi sunt testes: si mentior, æquore vasto
Obruar, & mutis piscibus esca natem.
O saltem pietas hæc prosit, & ultima passum
Deferat in portus me Cytherea suos.

AD DAVIDEM CHYTRAEUM.

ELEGIA II.

QUæ legis, ille tuus vates, Chytræe, Secundus
Tristibus hinc Elegis verba ferenda dedi.
Pinguia qua Ligeris secat arva rapacibus undis,
Per cava spumosis saxa volutus aquis.
Ecquod erit tempus, vestris quo redditus oris
Ocia secura plena quietis agam?
Quando erit, ut veterum liceat meminisse laborum,
Arbitrioq; dies continuare meo?
Hæc ego, cum reditus agitarem mente, fovebam
Gaudia, successus non habitura suos,
Nam subito, nostris iterum contraria votis
Horrida Mænalio bella sub axe tument.

Utq;

Utque ferunt, armis late vastatur & igni,
Pene mihi patrio gratior ora solo.
Non patria est tantum, primos quæ præbuit ortus,
Sed quocunque loco vivere dulce fuit.
O ego quam vellem, ne quis mihi nuncius esset,
Extremas ultra Solis abire vias.
Degere vel lybicas ubi dissipat Auster arenas,
Quo non vlla meum fama sequatur iter.
Hoc tamen est levius, quam damna videre suorum,
Leniter ad sensus auribus hausta fluunt.
Lumina conscelerent alii, qui sanguine gaudent,
Dūricies non est pectoris illa mei.
"
"
Scimus ad aerias ut tu superaveris Alpes,
Multa forent oculis ne patienda tuis.
Utq; procellosis toties pater Adria ventis
Viderit, incertum pene salutis, agi.
Quid loquar, ut veteres Arni percurreris urbes?
Quasq; rigat Tybris, quas Anienus, aquæ?
Nunc tibi parta quies, geminasq; reversus ad Arctos,
Ingenii profers munera larga tui.
Nam tibi nascenti raras in pectore dotes
Contulit, & linguam Phœbus utrãque dedit.
Oraq; si culto sermone diserta resolvis,
Crediderim Musas hoc ego more loqui.
O utinam posses solatia ferre sodali,
Non adeo durum, quo premor, esset onus.

Jam

Jam neq; me veterum mulcent præcepta virorum,
Ulla nec in libris est medicina meis.
Sæpe suburbanis (ut nunc quoq;) lentus in hortis
Ambulo, cantantes qua Liger audit aves.
Ponere nec spaciis varias æqualibus herbas,
Nec riguæ sulcum ducere tædet aquæ.
Sæpe fatigato, sub onusta vitibus ulmo,
Diluit arenti Bacchus ab ore sitim.
Paucaq; subjiciunt illic mihi carmina Musæ,
Tempora dum leni sunt madefacta uero,
His, miser, atq; aliis tento lenire dolorem,
Ille sed in mediis nescit abesse rosis.
Tunc piget, ac malitem nullos tetigisse libellos,
Cum subit in studiis nil opis esse meis.
Me miserum, quod non alio mihi tempore nasci
Contigit, aut vita non breviore frui.
Nam mihi quid cœli jucundum cernere lumen
Prodest, si gravior proxima quaq; dies?
Pax ades o, longumq; mane, pax optima rerum
Huc ades, & populos alma revise tuos
Tunc deducta novis mihi carmina fontibus ibunt,
Forsan & a nullo vate secundus ero.
Non ego deletas acies, non aspera dicam
Prælia, nec clausas conquerar ante fores.
Sed cithara te sancte pater, qui bella coerces,
Te labente die, te veniente canam.
Quæque diu mecum tenero servivit Amori,
Serviet hinc soli Musa pudica Deo.

Sic

Si juvat, & fas est, vitæ quodcunq; sequetur
Ducere, clam tacito mors venit atra pede.

AD JOANNEM HAGUIUM F.

ELEGIA III.

QUæris, longa meos nunquid via temperet ignes,
Aut quid adhuc sævi miles Amoris agam?
Absentemq; refers consumi tabe puellam,
Multaq; fortunæ de levitate queri.
Protinus ut legi, calefacta per ossa cucurrit,
Sparsit & attonitas flamma rubore genas.
Sunt etiam lacrymæ (nam vera fatebor) obortæ,
Admonitu Dominæ cor mihi molle fuit.
Non quisquam meliore fide (tu testis) amavit,
Cum nova me Veneris misit in arma puer.
Tunc ego regnabam, nec mē felicior alter,
Gessit militiæ signa, Cupido tua.
Tunc primum dulcis præconia noscere famæ,
Et cœpi teneris velle placere modis.
Nulla mihi vasti restare pericula ponti
Fingebam, nullas jam superesse vias.
Iucundæq; genus meditabar amabile vitæ,
Et facilem Dominam, conjugiumq; bonum.
Sic fallax præluſit Amor, nox omnia vertit,
Longæq; post actum Ver breve, cœpit hyems.
Nam pudor à tumidæ cum cederet ore puellæ,
Nec caperet fastus facta superba suos:

Imme-

Immemor ipse mei, quo spes minor, acrius arsi,
Spumeus in brevibus ceu furit æstus aquis.
Quis mihi non illo solatia tempore dixit,
Quis grave sub Brumam non miseratus iter?
Cum tu præcipue de mille sodalibus, Hagi,
Fletibus arumnas prosequerere meas.
Præda recens (memini) licet ipse Cupidinis esses,
Et similis toto pallor in ore foret.
Vulnera lenibas tamen infelicis amici
Et mihi dicebas: I modo, sanus eris.
Quid tamen hybernis pulsæ Aquilonibus Alpes
Profuit, & rupes scandere Jura tuas?
Me Rhodanus velox, me clementissimus amnis
Cæruleo lassum gurgite vexit Arar.
Vidi, spumiferis ubi Sequana fontibus exit,
Vidi, qua tumidas in freta volvit aquas.
Non tamen est defessus amor, nec inhospita curat
Saxa, nec irati murmura sæva maris.
Quid querar infelix? Tua molliter ossa quiescant,
Alte sub Hetruscis nuper humate jugis.
Tu mihi per casus omnes, dum fata sinebant,
E cœlo missus dulce levamen eras.
Ergo ego te nunquam miseris deflere querelis
Cessabo, donec me premat atra dies.
Nunc sine te, postquam jucundum lumen ademtum est,
Vt vaga nymboso turbine pinus, agor.
Ante meos oculos, quæcunq; reliquimus, hærent,
Et quæcunq; animo grata fuere meo.

Sic

Sic mea Lux patrios primum me duxit in hortos,
Sic lacrymans flammas est mihi fassa suas.
Sic gemuit, sic culta fuit, sic oscula junxit,
In viridi mecum sic requievit humo.
Talibus atq; aliis, qui pene resederat ignis
Crescit, & admonitu robora sumit Amor.
Sed tamen, aut falior, positis aut tempore curis,
Quod mihi promisit vox tua, sanus ero.
Vivat, & abrupti caussam sciat illa coloris,
Non revocant lapsos irrita vota dies,
Jam nihil est tctum quod amavimus, omnia mecum
Dii quoniam magni sic voluere, tuli.
Quod superest, teneros felicius exigat annos,
Vivat, & ardoris sit modus illa mei.
At tibi, qui mecum longo conjungeris usu,
Dulcia conjugii vincula nectat Hymen.
Quæq; juventutis sunt præmia puriter acta,
Ante tuos videas pignora certa pedes.
Me doctis animum juvat emendare libellis,
Candidior forsan proximus annus erit.

AD JOACHIMUM CAMERARIUM, PABFNBERGENSEM.

De obsidione urbis Magdeburgensis.

ELEGIA IV.

Si

SI vacat arcanis aures prabere querelis,
Nec data per lævas omnia spernis aues:
Accipe, quæ primis, Joachime cadentibus astris,
Accipe, quæ vidi, cum foret orta dies.
Nox erat, & placidos spargebant sidera somnos,
Quos levis æria devehit aura via.
Plaustraq; Mænalia dum custos flecteret ursæ,
Somnia sunt curas hæc imitata meas.
Flumen erat, dubito fuerit num Rhenus, an Ister,
Spumifer aut Albis, sed reor Albis erat.
Stabat arenoso vetus urbs in margine ripæ,
Omne cruentato milite cincta latus,
Castraq; spectabat virgo de mœnibus altis,
Fallor, an in lævâ serta fuere manu?
Flebat, & invitis miscebat fletibus iram,
Turrigero longas vertice scissa comas.
Ergo fremens, quis me manet exitus, inquit? an ultra
Sors mea quo tandem progrediatur, habet?
En ego, quam fovi tot secula fortiter urbem,
Nobile cui de me nomen habere dedi.
Efferus ex imis evertere sedibus hostis
Nititur, & veniæ jus superesse negat.
Hic pietatis honos? ea libertatis amatæ
Gratia? quid fieret, si scelus ausa forem?
Prosit, & excuset, quod sum mihi conscia recti,
Et caput in patriæ nulla quod arma tuli.
Sed prodesse parum est: labes hinc prima malorum,
Hoc miseræ (verum si profitemur) obest,

Mæ-

Mœnia debueram natalia prodere, texi:
Fida nec innocuis civibus esse, fui
At decus hinc nostræ quondam meruere puellæ,
Ad quas & populi summa relata sui:
Gratia vindicibus jam nulla rependitur armis,
Cum tulerint aliæ præmia, plector ego.
Quid faciam? qua spe nitar? quo lumina flectam?
Unde petam fessis perdita rebus opem?
Non mea connubiis operatur in urbe juventus,
Pace bona casti gaudet Amoris opus.
Squalida vastatis apparent frugibus arva:
Hostis ab agricola non sinit arva coli.
Nec lego purpureos in serta recentia flores:
Non mihi flos pratis mollibus ullus hiat.
Funera bis vidi campis indigna meorum,
Damna bis adverso tristia Marte tuli.
Hei mihi, qualis erit (quod abominor) exitus urbis,
Concidet hostili si reserata manu?
Quis tenerum pavida latus hauriet ense puella,
Virginitas cujus præda latronis erit?
Hæc, oculi quæcunq; vident, cinis omnia fient,
Utraq; dicetur flebile ripa solum.
Ergo dies veniet, qua mœnia nulla tuebor,
Parvaq; restabit nominis umbra mei.
Quaq; fuit murus terram proscindet arator,
Urbsq; sub his, dicet collibus alta fuit.
Quid gravius, victore Geta, miseranda tulissem,
Cæsare quam magno bella gerente fero?

At-

Atq; utinam sævi potius mea viscera Thraces,
Persaq; & extremus dilaceraret Arabs.
Hoc tamen infelix casus solarer acerbos:
Vulnera cognata sunt graviora manus.
Majorum tumulos, sacrasq; Tuistonis umbras
Tester, & hæc tacito sidera fixa polo,
Me servasse fidem: Si mentior, ultima nunquam
Quæ patior, tantis hora sit ulla malis.
Et tamen ut furiis insurgit atrocibus hostis:
Si libet in cineres sæviat illa meos.
Herbiferæ valles, gelidiq; in vallibus amnes,
Quicquid & in terris dulce relinquo, vale:
Este mei memores ripæ, Nymphæq; sorores,
Longa mea in vestris regna fuere locis.
Plura querebatur, nostro sed protinus omnis
Corpore defluxit somnus, & orta dies.
Mœstus, & obscura turbatus imagine noctis,
Sub matutini lumina Solis eram.
Montis inaccessi radicibus adjacet imis
Lucus, ubi varia consociantur aves.
Est sacer arbustis, vastisq; recessibus horror.
Per medium rauca volvitur amnis aqua.
Hic trepidæ speciem repetens in valle quietis,
Ergo quod (ajebam) somnia pondus habent?
Cur nimium memini? verisq; simillima vidi,
Langvidus aurora cur oriente fui?
Dum queror, & variis turbatus obambulo curis,
Mobilis arboreas impulit aura comas.

Ecce

Ecce quatit rapidis Jovis armiger aera pennis,
Albus & incurvis ungvibus hæret olor.
Nulla fuga est capto: sectantq; silentq; volucres,
Aspera dum fulvæ præpetis arma timent.
At vigil, auroram qui cantibus evocat, ales
Audet ab aeriis obuius ire jugis.
Tunc volucer sævas exercitus undiq; pugnas
Suscitat, alarum plausibus antra fremunt.
Interea removent subeuntia nubila Solem,
Præsagiq; micat fulminis igne polus.
Terrecr, & vanos reor hæc quoq; fingere somnos,
Sed patula vigilans ilice nixus eram.
Mox paucæ redeunt, & ovantes Sole reductæ,
Paulatim molli pace fruuntur aves.
Et nive candidior, veluti jam fata vocarent,
Fundit olor dulces ad vada nota sonos.
Protinus exclamo, superi mea visa secundent:
Inq; Notos, quidqued triste minantur, eat.
Nec minus indigenis voveo sua munera Nymphis,
Et palmis haustas libo duabus aquas.
Hæc tibi, cui fas est casus aperire futuros,
Carminibus volui non reticere meis.
Plura quidem vidi, sed quæ celanda putavi,
Valle sub arcana cætera quercus habet.

AD JOANNEM SAMBUCUM PANNONIUM.

ELE-

ELEGIA V.

IBimus æquoreas, sine te, Sambuce, per undas,
Sit precor ad longas utilis aura vias.
Tu repetis primos Araris, quos vidimus, ortus,
Et Rhodani liquidas, quas Arar auget, aquas.
Nam tecum montes ibi vult habitare salubres,
Noster egens medicæ nunc Apianus opis.
Tempore qui longo fervoribus ustus anhelis,
Mutato sperat posse valere loco.
Vade, nec immiti correptum febre sodalem
Desere, jucundum, te duce, fiet iter.
Felices crescunt illis regionibus herbæ,
Floridior nullis est Panacæa jugis.
Mobilibusq; leves spirant afflatibus auræ,
Nec canis æstivi tempora sicca nocent.
Rura, quiesq; animi, diuturnos pellere morbos,
Sæpe Machaonia fortius arte solent.
Non ego vos animo properans gaudente relinquam
Sed prius hunc culto totum ducemus in horto
Lusibus, & scyathis, carminibusq; diem.
Pampinus æstivas mensæ circumdabit umbras,
Altaq; vicinas integet ulmus aquas.
Nais ubi virides, & Hamadryas irrigat herbas,
Utraq; delitiis Nympha beata suis.
Illic unanimes convivabuntur amici,
Verbaq; de variis plurima rebus erunt.

Nec deerit fidibus teneras qui mulceat auras,
Et cithara doctas applicet arte manus.
Atq; aliquis veteres, Apio præcinctus, amores
Concinet ac largo proluet ora mero.
Ipse ego, florenti redimitus tempora Myrtho,
Pocula pro vestra multa salute bibam
Cunctaq; præterita repetens solatia vitæ,
Conquerar absenti nil fore dulce mihi.
Gratus enim longæ mihi consuetudinis usus,
Quicquid in hoc nobis incidit orbe, fuit.
Scilicet in vestro geniales pectore Musæ,
Numinis effigiem constituere sui.
Hinc amor, & simplex probitas, hinc copia fandi,
Tinctaq; Cecropio carmina melle fluunt.
Non pariter latum sulcabimus amplius æquor,
Prora fatigatis non dabit una thorum.
Nec simul a nautis portus scitabimur aptos,
Quæq; regant tacitæ sidera noctis iter.
Vos quoq; suprema nunc forsitan alloquor hora,
O utinam memores sitis uterq; mei.
Ipse pruinosæ juga seu calcabo Pyrenes,
Sive tuo lassus flumine, Vare, bibam,
Seu quocunq; trucis caput hoc feret impetus undæ,
Semper inoblita vos pietate colam.
Felix qui solis, parvo contentus, in agris
Degit, ubi proavis res fuit ante suis.
Nec pelagi scopulos, nec acerba pericula novit,
Nec liquor æquoreæ quam sit amarus aquæ.

Certe

Certe ego, si sinerent mea fata, quiescere vellem,
Tempus & arbitrio ponere dulce meo.
Certe ego sic agerem molles inglorius annos,
Nec mihi solstitium, nec gravis esset hyems.
Nunc miseri virides errando perdimus annos:
Nemo sed (heu) curas effugit ipse suas.
Adde tot exhaustos multis, sine honore labores,
Quorum culpata est (nec meruere) fides.
Interea subrepit iners, & inutilis ætas,
Inq; alias certe mors vocat atra vias.
Sic vates umbris crudelibus occupat Altus,
Sic Rosa, flos ævi nuper uterq; sui.
Alte, tuos cineres (quicunq; est) alluit Arnus,
Pæoniæ celsis occidit ille jugis.
Nec juvit doctas mentem formasse per artes,
Fonte nec Aonio deposuisse sitim.
Concordes animæ, regeret dum spiritus artus,
Natalis cuperem vos tenuisset humus.
Quis dedit ignotis tumulos? quis lumina texit?
Quis scit an hæc fati nos quoq; jura manent?
Quandocunq; volent, superis parere necesse est:
Terra sepulturæ quælibet apta mea.
Nulla mihi est, nostro quæ ploret funere, conjunx,
Et pia, si moriar, non erit orba parens.

Ad mea si quando venietis busta sodales,
Qua procul occiduo littora Sole tepent:

Este mei longum memores, requiemq́ue precati,
Spargite pallentes ante sepulcra rosas.
Et facite, ut cineri Lotos mea præbeat umbram,
Carmen & in viridi cortice tale gerat:
Ante diem Vates consumtus morte Secundus
Hic situs est, dicta pace, viator abi.

AD MONTEM PESSULANum, cum eam urbem studiorum gratia cum Stibaris inviseret.

ELEGIA VI.

HOspes in hanc venio, Musis comitantibus urbem:
Este salutati Diiq́ue Deæq́ue loci.
Vos mihi fœcundi montes, agriq́ue salubres,
Utiliter visæ vos mihi sitis aquæ.
Si quis & hic novit nomen patriæq́ue meumq́ue,
Mansuetam fesso porrigat ille manum:
Tarda quod insolito moveo vestigia passu,
Huc procul a Ligeris fecimus amne viam.
Quod niger in facie color est, Sol ora perussit:
Quod sedet in reliquo corpore pallor, amo.
Cincta quod Aonia non sunt mea tempora Lauro,
Non ego Castalio fonte poeta bibi.
Sit mihi fas celebres ab Apolline scandere colles,
Sit mihi fas sacro ponere monte pedem.
O, mihi qui monstret cultus, habitusq́ue locorum,
Atq́ue aliquid miri si novus orbis habet.

Sic

Sic ego: Sic unus veteris non inscius ævi,
Certior hinc, nam te novimus (inquit) eris.
Hic tenet a Volcis nomen lacus, herbifer illic
Setius aeriis mons petit astra jugis.
Hic cœtus hominum Delphines adire solebant,
Inter & errantes ludere sæpe rates:
Hic egere vagos nautis in retia pisces,
Ad vada cum lato prosiliere mari.
Inde petens lævam, fuit hæc solidissima tellus,
Nunc sinus, hæc Marius littora fodit, ait.
Solis ad occasum Pyrene, Solis ad ortum
Spumifer Alpinas Isara volvit aquas.
Arverni Boream spectant, septemq; Triones,
Imbriferum littus Massiliense Notum.
Talia me ducens per singula, rettulit unus,
Rettulit & mores gentis, & urbis opes.
Grande viæ pretium: nec pœnitet aeris astus,
Nec toties mistos imbre tulisse Notos.
Ipse recedentes (quis posset credere?) Phœbus
Jam caput Aemonii per senis urget equos.
Arva tamen placidi fovet indulgentia cœli,
Blandaq; ceu primi tempora veris eunt.
Gramina nec campis desunt, nec montibus umbræ,
Estq; ferax herbis, arboribusq; solum.
Hic oleæ pingues & amœnis Citrus in hortis
Surgit & Idaliæ Myrthus amata Deæ.
Et pretium doctis, quorum meruere labores,
Vatibus est baccis Laurus amicta suis.

Albaq; Morus adest, nec habet monumenta cruoris
Sive tui Thysbe, Pyrame sive tui.
Malaq; proveniunt bene olentibus aurea ramis,
Mala vel hybernis mensibus apta legi.
Quaq; maris rubri puras imitantia gemmas,
Lucida pallenti cortice grana tegunt.
Nec virides desunt, victorum præmia, palmæ,
Nec tiliæ molles, Heliadumq; nemus.
Te tamen imprimis referam, dulcissima Lothos:
Carmina tu succis imbue nostra tuis.
Quam juvat hos circum frondoso vertice colles
Visere, & intacto cingere flore comam?
Rosmaris, & Nardi passim redolentis aristæ,
Et Thyma, Junipero cum bicolore, virent.
Oratq; se vertens ad euntis lumina solis,
Unde sui causam nominis herba tulit.
Quæq; licet rivis gaudens, aspergine nulla
Uda fit, aut pluviis tacta madescit aquis,
Nec minus, in medio quam Stœchades æquore, gignunt,
Et quæ juncosum plurima littus amant.
Nec ferrugineus, Tyriove simillimus Ostro
Flos tener, Oebalio sanguine tinctus abest.
Nec croceum cingens Narcissus floribus albis,
Atq; suo pulcer natus Adonis avo.
Quæq; aliæ (nec enim cunctas nunc persequar) herbæ
Nomina non Elegis mollibus apta, gerunt.
Quid varios pisces, & nata Corallia ponto
Elaquar? & conchis Ostrea tecta suis?

Illic

Ille sed æquoreæ numerum subducat arenæ,
Qui volet undivagos enumerare greges.
Adde sacros fontes, & quo vos carmine dicam,
Æmula Gnosiaco dulcia vina mero?
Te quoq; Lade canam, tacitis qui leniter undis
Dividis hanc, nullo vortice tortus, humum.
Te Dryades, Nymphæq; colunt, assuetaq; ripis
Multa suo fluvium gutture mulcet avis.
Hic igitur suaves captare juvabit odores,
Purpureo flores hic ego vere legam.
His ego vitabo rapidos in vallibus æstus,
Terra sub æstivum dum sitit usta canem.
Salve dives opum regio, tibi Delphica tellus
Cedat, & in mediis, candida Delos aquis.
Urbs salve cujus nomen sinus ultimus orbis
Audit, & exoriens occiduusq; dies.
Te propter tantos libuit perferre labores,
Tu requies Musis tu decus omne meis.

AD DEOS MARIS
in funere Delphini.
ELEGIA VII.

Di maris, & virides, quæ sunt penes æquora, Nymphæ,
Ad bibulum madidis littus adeste genis.
Ille decus pelagi, vestro sub numine, Delphin
Cæruleas, subita morte, reliquit aquas.

Et nunc (ecce) jacet refluis inhumatus arenis,
Vix dedit ejecto funeris alga locum.
Quid benefacta juvant? Quid, non rationis egentem
Esse? quid æquoreos non violare Deos?
Num minus ex animem versant in littore fluctus?
Sævaq; turbati verberat unda maris?
Non senior potuit Nereus, non optima Tethys
Ferre, nec Oceanus, quam meruisset, opem.
Vivit atrox Xiphias, ducitq; per æquora sulcos,
Ille tamen curvas mergit in ima rates.
Vivit & Echneis, medio quam navita ponto
Sæpe stupet totis classibus esse moram.
Occidit innocuus tumidarum rector aquarum:
Optima cum pereant, deteriora manent.
Non iterum, vitreas exercens lusibus undas,
Transiliet rapido carbasa tensa Noto.
Nec calidos vitans æstivi sideris ortus,
Conscia delitiis incolet antra suis.
Nec dulces natos, veteresq; reviset amores:
Flebile nempe jaces, magne natator, onus.
Hoc tamen infelix mortem solabere, quod te
In solida positum vita reliquit humo.
Non tua diripient, sub gurgite, viscera pisces,
Hærentem scopulis non fera tondet hyems.
Te quoq; credibile est ausum sperare sepulcrum,
Liqueris æquoreas cum moriturus aquas.
Sit quodcunq; volet: sub Adesi vertice montis
Hic ego te manibus contumulabo meis.

Prosit

Prosit adhuc, vastas olim Delphina per undas
Lesbida cum sacro vate tulisse lyram.
Sæpe dabunt gemitus volucres ad busta marinæ,
Et tibi serta Tethys, Nereidesq; ferent.
Quiq; rigat juxta factum de cautibus antrum,
Grata quies umbræ fons erit iste tuæ.
Sæpius ingrediens antiquos Navita portus,
Hauriet hic dulces, te veneratus, aquas.
Sive tamen gelidæ mulcent te littoris auræ,
Atq; sub his gaudes nunc habitare jugis:
Seu colis Eridani ripas, sine vortice cujus
Lenta per Elysium volvitur unda nemus:
Ingremio, Delphin, recuba telluris amatæ
Molliter, & cineres sæpe revise tuos.

AD GREGORIUM SCHETUM.

De natali suo.

ELEGIA VIII.

Schete meus natalis adest: felicibus, opto,
Auspiciis servent hunc mihi fata diem.
Hoc ego vitales hausi vagitibus auras,
Primaq; stirps sexu de meliore fui.
Nec tantum rosei pulcrus in luminis oras,
Contigit hac primum tollere luce caput:
Abluere antiquæ mala sed contagia culpæ,
Inq; salutiferis sumere nomen aquis,

Cingite, Pierides, viridi mea tempora Myrtho,
Aut maris ornatas rore ligate comas.
Lapsaq; sub terras (nam vos meministis) & orta,
Tempore natalis signa referte mei.
Flava pruinosa Aurora fugaverat umbras,
Enixa est utero cum pia mater onus.
Scorpius Eoo ducebat ab orbe recentes,
Purpureum scandens æthera Solis equos.
Et matutinos Cyllenius ante jugales
Utile carpebat, Pleiade natus, iter.
His comes, e pelagi surgens natalibus undis,
Alma capistratas Cypris agebat aves.
Post hanc Phyllirides, jaculis armatus, & arcu,
Et Æoli, Aegoceros, qui jacet ante fores:
Et puer Iliades, & amantes flumina pisces,
E quibus hic, Boreæ proximus, ille Noto.
Fulva sequebatur, Phryxum, Phryxiq; sororem,
Per mare qua nitido vellere gessit, ovis.
Tertia laboriferi gradiens per cornua Tauri,
Falcifer occiduo stabat in orbe senex.
Hinc cum fratre pio, felix concordia, Pollux
Ibat, ubi sedes mors habet atra suas.
Juppiter Herculei lustrabat terga Leonis:
Juppiter in medio lætus honore polo.
Sævaq; ne rigidus tentaret prælia Mauors,
Ultimus, & duro carcere clausus erat.
Sic vaga per cœlum Diis astra volentibus ibant,
Dulcia qua vitæ munera luce tuli.

Pro-

Protinus infantem mansuetus Phœbus in ulnis
Fovit, & Aonidum dixit, Alumnus eris.
Frondentiq; thorum cinxerunt baccare Musæ,
Cederet ut cunis noxa repulsa meis,
Ipsa sed arcani scrutata volumina cœli
Uranie, tales edidit ore sonos.
Salve parve puer, minus infelicibus annis,
Digne puer nasci non meliore die.
Non tibi felicem vitam, non fata negarent
Poculа Castaliæ (sidera testor) aquæ.
Sed malè tunc sacros tractabunt sæcula Vates,
Vatibus ereptas miles habebit opes.
Tuq; peregrini longis in tractibus orbis,
Multa feres belli tædia, multa viæ.
Ingratosq; hominum mores, casusq; thorum,
Et sterilem frustra sæpè querere fidem.
Non tamen ambitio, nec amor te franget habendi
Una sed imponet dulce puella jugum.
Nec tibi difficilis Saturni stella nocebit:
Ipse, minax quamvis, Mars quoq; mitis erit.
Parce queri, vinces: sed erit mora longa laboris:
Moribus, & fatis cætera mando tuis.
Hactenus, & puram matrem circumtulit unda,
Plausit & argutum candidus omen Amor.
Dicamus bona verba, Deus regit astra, feruntur
Illius arbitrio sidera, terra, fretum.
Illum supplicibus verbis venerabor, ab illo
Et decus, & probitas, & bona fama venit.

Vivamus dum fata sinunt, & amemus amici:
Quis scit an hæc unquam sit reditura dies?
Ipse novos Genius ludens ad pocula cantus
Audiat: & multo nox eat acta mero.
His Genius contentus erit, non hic mihi frater,
Non soror est, festas quæ paret ipsa dapes
Nec genitrix nato quæ sospite munera solvat:
Dii faciant reditu gaudeat illa meo.
Da mihi vina puer, lenes facientia somnos,
Donec in Oceanum sidera prona cadant,
Optime Natalis salve, multosq; per annos
Luce bona felix, & venerandus eas.

AD RENATUM HENERUM MEDICUM.

De puella formosissima ex Celtiberis, quæ Claudiam diu a se adamatam facie repræsentabat.

ELEGIA IX.

QUid mihi vobiscum est, inconstans turba, puellæ;
Improbe, jam fesso quid mihi fiet, Amor?
Scilicet æternum si non ego vulnus haberem,
Imperii fierent jura minora tui?
Parce precor, sævo resolutis igne medullis:
Nuda quid immitis condis in ossa faces?

Sic

Sic ego sæpe leves infelix alloquor auras,
Irrita sed nubes verba, Renate, ferunt.
Parrhasiæ (nemini) sub sidere virginis arsi,
Multaq; quod velliem posse negare, tuli.
Forsan & hyberno cinis ater in orbe jacerem:
At cito sum longas jussus inire vias.
Littus ad Hesperium veni, Dominamq; reliqui:
Dum feror huc illuc, sexta recurrit hyems.
Omnia, quæ possent flammas extinguere, feci:
Quæris profuerit quid mihi? pejus amo.
Illa meis oculis, quamvis procul absit, inhæret,
Nec memorem Phœbi, nec sinit esse mei.
Jamq; sub hoc ipso terrarum fine reperta est
Una, recens nobis (ecce) puella malum.
Hæc est, quam toties laudare soletis amici,
Dum niveum choreis fert tunicata pedem.
Nec, quia formosa est, capior, sed imagine tangor,
Nec quod amo, video, cogor amare tamen.
Namq; (fatebor enim) gelida, mea vita, sub Arcto
Huic similes vultus (si modo vivit) habet.
Sic formosa genis, sic est astricta papillis,
Sic pede, sic oculis, sic operosa comis.
Utraq; blesa fere est, annis crescentibus ambæ,
Nec magis hæc longa est, nec magis illa fuit,
Nec pudor, aut casti faciunt discrimina mores,
Ut credas partus unius esse duas.
Quidmihi nunc prodest, quod nos mare separat ingens?
Mens bona quod tantis exagitata malis?

Quid juvat, effigiem teneræ conflasse puellæ,
Quam manus in digito læva minore tulit?
Num minus hæc præbet tellus, quod amare necesse est?
Num minus hæc cogunt me simulacra mori?
Colle sub herboso (nil te cælabimus) ibam,
Unde maris virides conspiciuntur aquæ.
Laurus, & umbrosæ salices, & Lothos, & ulmi,
Præcipue Bacho Læthos amica, virent.
Illic sicut erat viridantibus abdita ramis,
In gelida violas mane legebat humo.
Ut vidi, obstupui, suxoq; simillimus hæsi,
Et Dominam vere sum ratus esse meam.
Hunc etiam gestum flores carpentis habebat,
Sic etiam casu candida vestis erat.
Non virides referunt magis uda Sisymbria Menthas:
Non magis in speculo se videt ulla parem.
Sed tamen extremas cur illa veniret in oras?
Unde pedem ferret? quove teneret iter?
Quinetiam timui, miseram si fata tulissent,
Mortua ne sensus luderet umbra meos.
Mox patuit dubix jucundus imaginis error,
Vocis ut argutæ detulit aura sonum.
Forte sedens patula sua verba canebat in umbra,
Hæc mihi fecerunt auribus hausta fidem.
Cumq; meos horror subito percurreret artus,
Frigidus in toto corpore sudor erat.
Ex illo flammis semper discordibus uror,
Excruciatq; recens, & redivivus amor.

Ergo

Ergo, fere portum cum jam mea vela tenerent,
In scopulos facies hæc mihi fecit iter.
Luna quater plenis reparavit cornibus orbem,
Cura nec ex animo destuit illa meo.
Nec libet in patriam, facta jam pace, reverti,
Puppe nec in latium per freta longa vehi.
Durus, & ingenii vafer experientis, Ulysses
Audaci has quondam remige torsit aquas.
Non Ithace tanti, non Neritos arduus tanti,
Penelope tanti, sed tamen una fuit.
Sit mihi spes Dominæ, mediis vel Syrtibus ausim,
Vel Scylla scopulis applicuisse ratem.
Ipse traham fortes innixus in ordine remos,
Vinctaq; navali compede crura geram.
Lentus es? an sentis, nec ad huc misereris amici?
Et mea littoribus verba, Renate, cadunt?
Affer opem, quoniam medicas tibi tradidit artes
Phœbus & Aonidum te chorus omnis amat.
Non tamen hic ullas morbus desiderat herbas:
Est opus eloquio, dulcis amice, tuo.
Tu potes ingenuam verbis mollire puellam,
Nec precor, ut contra solumme diligat illa:
Dum modo sit penitus non aliena, sat est.
Ipse velim patrios tantum comes ire per hortos,
Ludere & in viridi, si patiatur, humo.
Solariq; meos, quos illa refuscitat, ignes,
Et gerere in casto regna pudica sinu.

Illius & niveis componere carmen in ulnis:
Hic ego sum Vates, hic mea Musa valet.
Quod si pauca mihi dederit semel oculla, vivet,
Dum notum terris nomen Amoris erit.

AD JOANNEM STIGELIUM POETAM.

De Monumentis in agro Nemansensi.

ELEGIA X.

Sidera convexo dum tu labentia cœlo
Scribis & alternis sacra, diesq; modis:
Nos procul ignotis, Stigeli, degimus oris,
Ad maris occiduas non refluentis aquas.
Et modo Massaliæ portus miramur, & altas
Puppibus antiquum Stœchadas hospitium.
Phocaicosq; sinus, & qui lætissima sulcat
Arva, Pyrenæis montibus ortus, Atax.
Quod mihi si faciles præberet Cynthius aures,
Ingenioq; forent mollia fata meo:
Non ego sacrorum morem, caussasq; referrem,
Sidera nec Phœbi per duodena viam.
Nec canerem numeris civilia grandibus arma
Omnis in imbelli carmine nostra mora est.
Sed varias Gentes, & nomina prisca locorum,
Hoc aptum nostris viribus esset onus.

Non

Non mihi Castalias Phœbi chorus exhibet undas:
Finge sed antiquis Vatibus esse parem.
Scilicet in tanto miserarum turbine rerum,
Ille sacer vates ingeniosus ero?
Non tamen hic avi penitus monumenta prioris
Transierim, ripis Garde propinqua tuis.
Garde pater, bibulæ stagnans sulcator arenæ,
Qui tacite peragis lene vadosus iter.
Cui licuit cœlo tantas educere moles?
Et triplices uno sternere ponte vias?
Ponte pruinosas æquante cacumine nubes,
Cujus ab aspectu lumina terror habet.
In medio latis (res mira) canalibus actæ
Scrupea per rigidi viscera montis, aquæ.
Qui videt immanes excisos rupibus arcus,
Artificum doctas æstimet ille manus.
Adde capax populi, & gradibus sublime theatrum,
Antraq; secretas per latebrosa vias.
Nec jaculatricis templum nemorale Dianæ,
Proxima nec vires lympha silebo tuas.
Fons sacer uberibus fœcundus profluit undis,
Qualem Gargaphiæ nomine vallis habet.
Populeæ frondes, & palladis arbor obumbrant,
Et tenero vernat gramine semper humus.
Hic Dea sub ramis, venatu lassa, quievit,
Sedavitq; suo Delia fonte sitim.
Hic solitæ comites, posito velamine, nymphæ
Molle superfusis tingere corpus aquis.

Scili-

Scilicet hic vires liquor infringebat Amoris:
Qua bibit, æterna virginitate fuit.
O mihi si veteres eadem vis diluat ignes,
Fama salutiferas quanta maneret aquas?
Felices, quibus indulget fortuna, Poetas,
Felix, qui Regum, cura Ducumq; fuit.
Illorum Deus ora movet, terrisq; relictis,
Per liquidum cœli nube vehuntur iter.
Nos dolor, instabilesq; vices, seriesq; malorum,
Tantum opus æthereæ laudis adire vetant.
Excidio egregias bis deformavimus urbes:
Servitum magnos vidimus ire Duces.
Hic quoq;, cui fuerat commissa potentia rerum,
(O pudor) externas Rhenus adorat opes.
Nec dum finis adest: restant fera prælia, restant:
Jam mihi, cum Phœbo, Calliopea vale.
Tempus in umbrosis tu, cui licet, exige sylvis,
Quæ tibi Pelignas porrigit Ilmus aquas.
Inceptosq; operis sacri decurre labores,
Non erit ingenii fama sepulta tui.
Me fatis, quocunq; trahant, parere necesse est,
Arbitrio quoniam non licet esse meo.

AD ERHARDUM STIBARUM EQ. FR.

In peregrinatione in Hispaniam.

ELEGIA XI.

Sol

Sol abit e Tauro, jamq; igneus æstuat aër,
Ut solet, ætheréis dum Leo fervet equis.
Nam procul a gelida nos terra Lycaonis Arcto
Detinet: impatiens ante caloris eram.
Vix sat a nunc humiles æquant lactentia sulcos,
Quæ dirimit patria Cynthius arva mea.
At seges hic passim maturis flavet aristis,
Et prope falciferas poscit adulta manus.
Frigida nec patulos humectant flumina campos,
Nec rigat effusis humidus imber aquis.
Finitimos Lauri montes, Oleæq; coronant,
Nulla sed e raris decidit umbra comis.
His quoq; non ventis, non huic assevimus auræ,
Semper iners tepido spirat ab axe Notus.
Vastaq; percurrunt, sine nube, tonitrua cœlum,
Et rapido Titan excoquit igne fretum.
Hæc mihi narrabant (memini) quæ vera negabam:
Omnia nunc credo, postmodo cautus ero.
Nec mihi quis toties sedem mutare, nec ultra
Suaserit ignotis vivere littoribus:
Quæq; sibi placeat regio: his munera frugum
Fertilis hic magno fœnore solvat humus.
Fœtibus arboreis sit nulla beatior ora:
Hos Pallas campos, hæc juga Bachus amet.
Ista juvent alios: ego nostro gratulor orbi,
Mœnus ubi fluvio proluit arva suo.
Quaq; venit, læto vestitos palmite colles
Separat, & liquida semper abundat aqua.

Mæ-

Mœnus ab Aurora per pingvia culta volutus:
Illic temperies viribus apta meis.
Sol licet æstivos propior super ingerat ortus,
Sicca vel Icarius torreat arva Canis:
Frondea secreta præbent umbracula sylvæ,
Prataq; muscosis fontibus vda sonant.
Parturit & flores tellus, fessisq; per æstum
Lenis ad irriguas aura medetur aquas.
O nemus, o valles gelidæ: quater ille beatus,
Quem sopor argutas opprimit inter aves.
Non illi venis ardor sitientibus hæret,
Candida nec mutat fervidus ora calor.
Ast ego, si quando patriam, si quãdo revisam,
Fuscus, & ardenti sole perustus ero.
Nec tamen ulla movent mutati damna coloris,
In terris nulla est, cui placuisse velim:
Dummodo succensos febris non occupet artus,
Nec tener in flammas corporis humor eat.
Quam vellem colles tacitus reptare salubres,
Et mea sub viridi rura videre jugo.
Errat, divitias si quis miratur inanes:
Jugera sat culti pauca tenere soli.
Post obitus, miseri cum lux brevis occidit ævi,
Pondera nil auri divitis ampla juvant.
At si quis Musas, parvo contentus, amavit,
Ille, vel invita morte, superstes erit.
Tu quoq;, quem veterum sangvis commendat avorum.
Despice magnificas, nos imitatus, opes.

Et

Et mecum umbrosis, quoties sinit æstus, in hortis
Incipe jam Lauri fronde ligare comam.
Et rerum caussas, & finem quære bonorum,
Labraq; Castalio docta liquore riga.
Hæc tibi sub Myrtho residens florente canebam,
Ut scires animi vota, Stibare, mei.
I pede felici, quo te vocat ardua virtus,
Naturæ pereant ne bona tanta tuæ.

AD CAROLUM CLUSIUM A.

Recusatio Laureæ coronæ sibi ab illo donatæ ac transmissæ.

ELEGIA XII.

CLusi, quid viridi cingis mea tempora Lauro?
Non sunt ingenio mollia fata meo.
Tu mihi vel Myrthi nectas e fronde coronam,
Vel caput hoc circa mæsta Cupressus eat.
Non me Pierides, Clusi, fecere poetam,
Non Aganippeæ lucidus humor aquæ.
Sed dolor, & lachrymæ, sæviq; Cupidinis ignes,
Tristis & ad rigidas sæpe querela fores.
Molle prius (memini) spernebam carmen, & umbram,
Innocuisq; diu Vatibus hostis eram.
Ut facerem versus, dilecta cura puellæ
Impulit: & studii præmia magna tuli.

Præmia,

Præmia, quæ vincunt gemmas, & munera Regum,
Quicquid & in lato nascitur Oceano.
Nunc procul a Domina, miseri solatia luctus
Mæsta cano surdis carmina litteribus.
Desine velle meos Lauro redimire capillos,
Desine: temporibo convenit illa tuis.
Ast ego, quod teneros semper colo mitis amores,
Serta coronata Myrthea fronte geram.
Salve arbor, salve Hesperiis celeberrima sylvis,
Frigida quam patria non habet ora mea.
Atq; utinam veltes nostris quoq; crescere ripis
Qua secat obliquo Cynthius amne solum.
Non magis optarim sacras mihi surgere Citros,
Grata nec arenti punica mala siti.
Summa petant alii: Myrthum veneramur amantes,
Si mereor, crines ambiat illa meos.

P. LOTICHII SECUNDI ELEGIARUM.

Liber Tertius.

AD JOANNEM DE SYLVA LUGDUNENSEM.

De in-

De infelici suo ex Gallia reditu, cum omnia arderent bello civili.

ELEGIA I.

SOl iter emensus longum revolubilis anni,
Aurea Phryxea terga premebat ovis.
Jamq; novis tepidas zephyris mulcentibus auras,
Cesserat adventu squalida veris hyems.
Cum fugiens duri, Sylvane, pericula Martis,
Linquebam patria mænia celsa tua.
Mænia, qua placidis Arar interlabitur undis,
Et Rhodani magnas, non minor, auget aquas.
Arma prius tuleram, sed tunc pia caussa vetabat,
Regia posthabito Cæsare castra sequi.
Et quacunq; foret belli fortuna, timebam,
Nec dubiis poteram rebus habere fidem.
Temporis illius miseranda subibat imago,
Aspera quo passus vincula nuper eram.
Martius occiduam qua spectat Narbo Pyrenen,
Siccaq; cæruleus littora findit Atax.
Adde, quod & dulci patria tangebar amore,
Expectans studiis ocia parta meis.

"

"

Protinus Allobrogum celsas in finibus Alpes,
Horridaq; emensi lustra, niveq; sumus.
Contigimusq; lacum, Rhodanus qua spumifer exit:
Sed glacie tectis tunc piger ibat aquis.

Inde

Inde per intonsi nymbosa cacumina Jurae,
Venimus ad ripas, Arela curve, tuas.
Omnibus inq; locis, fulgentibus obvia signis,
Vidimus Helvetiis agmina missa jugis.
Non illic colit arva Ceres, non consitor uvae,
Nemo peregrinis mercibus auget opes.
Incola contentus parvo, nec fallere doctus,
Gaudet in herbosa pascere valle pecus.
Lacq; novum semper, pressiq; coagula lactis,
Dulcia fœcundi munera ruris habet.
Jamq; propinquabam Rheni spumantibus undis,
Ille sæpe fessos amne lavabat equos.
Jam procul aerios montes, procul alta videbam
Templa, Palatinis consticienda jugis.
Ergo salutabam loca nota, Deosque locorum,
Et nieri colles, Pieriamq; domum.
Mille pererrabant tacitam mihi gaudia mentem,
Ante oculos patriæ cum foret ora meæ.
Et velut, Ioniis cum navita fessus ab undis
Post duo natalem lustra revisit humum,
Lætitia exultat, caræque dat oscula terræ,
Exilii recolens tædia longa sui:
Sic ego fortunæ tot tempestatibus actus,
Mellia concipiens ocia, lætus eram.
Cum mihi fama volans in pinos rettulit hostes
Castra super ripas, Mœne, locasse tuas.
Deletasque acies, & totas funditus urbes
Ignibus eversas procubuisse solo.

Quid

Quid loquar ereptos profugis cultoribus agros?
Prædinq; ad dominos non reditura suos?
Nunc, finge animo reditus, finemq; malorum,
Teq; puta casus exuperasse tuos.
Exul, inops, erro, nec honore carentia mortis
Matris adhuc licuit busta videre meæ.
Ah, melius Rhodani submersus in amne fuissem,
Naufraga cum tumidis fluctibus hausta ratis.
Insonti melius caput a cervice recisum
Vidisset medio Narbo jacere foro.
Quot mala finissem letho, si dura tulissent
Astra, feri Martis, falciferiq; Senis?
Ire per extremas Gentes libet, ire per undas,
Et patriam ignoto quærere in orbe novam.
Non ego, Mæne pater, quæ te sperare jubebam,
Suspendam ripis munera vota tuis.
Namq; (recordor enim) cum bella perosus abirem,
Per tua cornipedi flumina vectus equo:
Mæne vale, dixi, reducem si numina sistent
Me tibi, si niveus fulserit ille dies,
Hunc tibi cum geminis voveo calcaribus ensem,
Quæ vetus ad liquidas quercus habebit aquas.
Nunc inhonoratus nullis celebrabere donis:
Heu desiderii somnia vana mei.
Sic etiam vobis olim, Sperchiades undæ,
Æacidæ Peleus voverat ipse comam.
Voverat ipse quidem Peleus: at cærula mater
Vidit in Iliaca funus Achillis humo.

Sed procul a nobis hic sit timor, & mea saltem
In patriis olim sedibus ossa cubent.
Quodq; negant vivo superi, post fata rependant:
Sic, o, sit cineri paxq;, quiesq; meo.

AD ERASMUM NEUSTEter, Cognomento Sturmer Equitem Fr.

De rep. aquarum, & nova sua peregrinatione.

ELEGIA II.

DUm te rura tenent densis circundata sylvis
Coccius herbosis qua fluit uber aqvis.
Postq; tot exhaustos belliq;, viaq; labores,
In solis gaudes sic habitare locis.
Me nemus Hercynium, fortunatiq; recessus,
Humidaq; oblectant stagna salubris aquæ.
Hic domus, hic fesso patria est, requiesq; malorum
Degere natali dum vetat hostis humo.
Non comites Musæ nobis, non carmina desunt:
Ingenium superest, cætera victor habet.
Blandaq; crescentes solantur balnea curas,
Et sopor, & calidi fontis amicus Amor.
Insuper accedunt vetereq; noviq; sodales,
Vita quibus concors, & sine labe fides.
Hic quoq; dulce mea decus, & spes una juventæ,
Lassa fovet tepidis membra Stibarus aquis.

Mu-

Mutua qui placidæ componens fœdera pacis,
Dum studet armatos conciliare duces:
Vectus equo lateris resoluti perdidit usum,
Pæonia nequeunt quem reparare manus.
Nunc colit ardenti fumantes sulphure lymphas,
Tabificum pellat si liquor ille malum.
Cæruleæ ambustis erumpunt faucibus undæ,
Corporà quæ medico langvida rore levant.
Sive laborantes quatit æger anhelitus artus,
Sive trèmit nervis pars labefacta suis.
Arida seu venas vrit sitis, horrida labes
Viscera suffusis cum tumefecit aquis.
Nympharum sacro quæras a fonte salutem:
Pæoniam simplex afferet humor opem.
Non tamen his me fata diu consistere terris,
Optataq; sinent commodiàte frui.
Nuper enim placida cum membra quiete levarem,
Fusus in herbosa, ruris amator, humo.
Astitit in somnis (nec me sopor altus habebat)
Et pede percussum surgere jussit Amor.
Surge, quid in solis (inquit) teris ocia sylvis?
Te manet Euganei terra beata soli.
Major ubi, calidus Aponusq; salubrior undis
Fumat, Hamadryadum Naiadumq; domus.
Et pater Eridanus, Phœbo gratissimus amnis,
Adriacum liquidas in mare volvit aquas.
Unde pedem referens, Musarum dotibus auctus,
Cincta triumphali tempora fronde geres.

Hæc Amor: & tenues cum somno fugit in auras,
Faustique concentu signa dedistis aves.
Ibimus, & gelidas, duce te, superabimus Alpes:
Tu modo promissis adde, Cupido, fidem.
Vos patrii salvete Lares, salvete sodales,
Et soror, & frater, tuque, Dimare vale.
Vobis parta quies, de me Deus autor amoris
Viderit, auspiciis mens favet ipsa suis.

AD GVILIELMUM RONDELETUM.

In obitum Callirhoës, puellæ formosissimæ.

ELEGIA III.

SIc mihi tristitiam video, luctumque perennem:
Jam Dominæ properant ultima fata meæ.
Parce laboranti, mors immatura, puellæ,
Parce precor: letho me trahit illa suo.
Illius occasu terras, homines que relinquam,
Et sequar ad manes, Elysiumque nemus.
Rondelete vale, si qua revalescere posset,
Jam foret auxiliis salva puella tuis.
Nam quis te melius jam deficientibus ægris
Aut citius docta leniat arte malum?
Sed nihil invito medicamina numine possunt:
Heu, mihi plus herbis mors valet atra tuis.

Fallere

Fallere quis possit (quamvis procul absit) amantem?
Absumus, & Domina scimus adesse necem.
Non mihi fama venit lacrymæ si nuncia luctus,
Avia nec mæstum præcinit omen avis.
Somnia me terrent, simulacraq; functa sepulcris,
Umbraq;, sopito quæ volat ante thorum.
Umbra, mihi toties quæ se miserabilis offert,
Obscura quoties omnia nocte silent.
Quinetiam nuper vigilantem nocte serena
Terruit, ad lecti visa sedere pedes.
Camq; ego clamarem demens, animamq; regarem
Per Thalami clausas fugit imago fores.
Occidit, ah frustra celare paratis amici,
Occidit, & secum spem tulit illa meam.
Spes erat, infelix virgo, si salva fuisses,
Tecum legitimi fœdus inire thori.
Jam tibi, quos gereres cultus, nova nupta, parabam,
Quaq; tuas posset gemma decere manus.
Nec minus ex animo tu me venerata colebas,
Mente fovens sancti gaudia conjugii.
Et (memini) cum te facerem, pulcherrima, certam,
Justa foret longæ quod mihi caussa viæ.
Te mihi venturam comitem jurare solebas
Solamen cunctis dulce futura malis.
Horrida nec Boreæ metuebas frigora, quamvis
Ossibus hæreret febris anhela tuis.
Ergo etiam manes tibi nunc comes ipse sub imos,
Si liceat junctis passibus ire velim.

Nec tristes Erebi furias, noctemq; profundam,
Nec cava sulphureis stagna vererer aquis.
Sed neq; tu manes alti colis ætheris hæres,
Nec mihi fas ultro te super astra sequi,
Donec ab his tenebris regionibus inferat illis,
Et Deus, & dulcis nos miseratus Amor.
Interea quodcunq; meos accedet ad annos,
Mœstus, ut amissa compare Turtur, agam.
Degere fert animus solis in montibus ævum,
Quo ferat humanos semita nulla pedes.
Illic verba querar sensus motura ferarum,
Et nomen tota nocte vocabo tuum.
Nec rami virides, nec me tegat herba jacentem
Florida, nec puro fonte levabo sitim.
Sive bibam, liquidas turbabo fletibus undas:
Sive cubem, nullo cessiite fultus ero.
Tu quoq;, si veterum memor est & pulvis amorum
Occurras oculis sæpe videnda meis.
Sæpius in somno redeat tua dulcis imago,
Fidaq; tangendas præbeat umbra manus.
Quid precor imprudens? non fas ita velle, piumve est
Ossa sint cineri, sit sopor ipsq; tuo.
Et tumulum Myrthi virides, & Amaracus ornet,
Et sedeat custos ad tua busta Venus.

AD GEORG. SABINUM.

De Patavii celebritate, & studiis suis.

ELE-

ELEGIA IV.

TU licet in patria, post bella, gravesq; labores,
Mollia securis ocia rebus agas.
Eloquioq; potens, & opum successibus auctus,
Illustres scriptis Cæsaris acta tuis.
Ut Viadrus, rigidos dum præterlabitur hortos,
Ad tua mirantes carmina sistat aquas.
Non tamen (ut credo) memori tibi corde, tot annis,
Excidit Euganei cura, Sabine, soli.
Sed desiderium superest, veterumq; locorum
Dulcis adhuc oculis hæret imago tuis.
Et modo Medoacum, celeri modo puppe videris
Adriacum soluto carpere more fretum.
Nunc subeunt Aponi fumantes sulphure lymphæ,
Inq; Antenoris proxima templa jugis.
Et zephyro gaudens Affuatum molle salubri,
Quæq; rigat liquidis arva Plueius aquis.
Adde tot egregias animas, tot candida Vatum
Pectora, constantii quæ tibi mente vigent.
Jam tibi se Bembus, jam se Diis proximus offert
Fracastorius, BEMEO par in honore suo.
Et cum Flaminio puri Naugerius oris,
Arbiter in actæ cultus uterq; lyræ.
Molsaq; præcinctus Myrtho, quem sede piorum
Almus inexhausto nectare pascit Amor.
Atq; alii, quibus hic olim comes ire solebas
Aonas in montes, Castalidumq; nemus.

Forsan & hæc inter, nostri tibi mutua cura est,
Quidq; sedens Venetio littore, quæris, agam.
Scilicet hic obitus rerum contemplor, & ortus,
Et quibus e causis ordine cuncta fluant.
Et disco, quicquid medicos mare gignit ad usus,
Quicquid & omnifero terra beniona sinu.
Sæpe juvat Solem gelida vitare sub umbra,
Multaq; de plantis, arboribusq; loqui.
At me præcipue felix delectat Hyacus,
Et Platanum manibus consita Bembe tuis.
Nam Platanum Bembo, patria non immemor, olim
Transtulit e campis Sicelis Enna tuis.
Sæpe levi remo Venetas lustrare paludes,
Sæpe libet totos ducere rure dies.
Solariq; æstus in gramine, sicubi forsan
Laurus adoratas explicet alta comas.
Illic Arquatum, quacunq; e rupe saluto.
Et veneror cineres, culte Petrarcha, tuos.
Tunc simul ad calidas Aponi descendimus undas:
Nec piget Asphodelam vespere ferre domum.
Hinc trabo (quam longa est) abeuntem carmine noctem,
Dum sopor occlusas excubat ante fores.
Carminibus solor casus patriæq; meosq;,
Abstergens mœsta lumina sæpe manu.
Sic mihi flos ævi, sic dulcis carpitur ætas,
Labitur, & tacito clam fugit illa pede.
Interea tamen instat Amor, nec pulsa recessit
Ossibus hæc pestis perniciesq; meis.

Nec

Nec ratio valuit sævas evincere flammas,
In summa quamvis legerit arce locum.
Ergo ego sustinui, primo sub flore juventæ,
Horrida difficili tempore castra sequi.
Oceani metas vidi, littusq; remotum,
Qua Lybiam nostro separat orbe fretum.
Mille fatigatus rerum discrimina vici,
Sæpe graves æstus, frigora sæpe tuli.
Unius haud possum superare Cupidinis ignes,
Nec desideriis fortior esse meis.
Ite procul Musæ, Lauriq;, Hederæq; valete,
Huttenus patriæ quas tulit ante meæ.
Carmina nil prosunt, non si mihi talia Phœbus
Præscribat, moriens qualia cantat Olor.
Nec medicæ curant Aponi mea vulnera lymphæ,
Ulla nec Euganeis quæ viret herba jugis.
Hæc satis est tenera Myrthi cecinisse sub umbra,
Desine nunc Erato plura: Sabine *vale.*

AD GVILIELMUM RUGERIUM COMPATREM.

De novo Amore.

ELEGIA V.

ALtera posthyemem, Rugeri, vertitur æstas,
Alteraq; æstatis terga fatigat hyems.
Immatura meæ cum flevi fata puellæ,
Et desolati frigida regna thori.

Testis Sorga mihi, latisq́; Druentia ripis,
Qua Rhodano cursus jungit uterq́; suos.
Illic constitui tumulum, manesq́; vocavi,
Et sedi multos ante sepulcra dies.
Promisiq; fidem cineri, sine amore futurum
Funeris extremum tempus adusq; mei.
At nunc rursus Amor veteres mihi suscitat ignes,
Rursus atrox sæva me face torret Amor.
Parcite felices animæ, tuq; optima virgo
Parce, nec ultores invocet umbra Deos.
Aoceptum quodcunq; potest gratumq; sepultis
Accidere, exequiis contigit omne tuis.
Quod superest (quoniam nihil est velocius annis)
Gaudeat, ut digna est, flore juventa suo.
Face tua liceat funestam ponere vestem,
Myrtheaq; ornatis reddere serta comis.
Appennine pater, vacuas qui tollis in auras
Ilicibus cinctum, juniperisq;, caput.
Aemiliæq; videns oram, camposq; jacentes,
Nobile Felsineæ despicis urbis opus.
Tu mihi curarum consors, testisq; laborum
Tu viridi servas gaudia nostra jugo.
Hic, mea Lux patriis in collibus exigit ævum,
Lanigerum pascens ruris alumna pecus.
Illa meos rapuit sensus, animumq; quod omnes
Euganei Nymphæ non potuere soli.
Illius in solis quæro vestigia sylvis
Grataq; posthabitis urbibus arva colo

Dies

Dicite custodes pecoris, nemora alta tenentes:
Ecqua sub hoc servat monte puella gregem?
Dicite lassatos quo fonte refrigerat artus?
Quas sylvas, medio quæ subit antra die?
Hæc ego. Tum ripas monstrat mihi rustica pubes,
Qua Panarus liquido prænatat arva pede.
Ille fatigatis gratus pastoribus amnis:
Huc potum saturas Lux mea ducit oves.
Hic oculis primum tulit obvia lumina nostris,
Lumina quæ radiis æmula Solis erant.
Quid referam, quoties noctem per inhospita ducam
Si queat arumnis esse benigna meis?
Illa sed (ah simplex) humanis invida votis,
Virginei mavult esse puella chori.
Impatiensq; viri castis se devovet aris,
Vittaq; flaventes jam ligat alba comas.
Vidi ego, cum roseos nigris mutaret amictus,
Et tunicam magnos poneret ante Deos.
Et consanguineas, dulci cum matre, puellas
Linqueret, a templis non reditura domum.
Me miserum, poterone pati, poterone mederi?
Non potero, tantis mens stupet ægra malis.
Quid non carminibus, quid non tentavimus herbis?
Irrita vis herbis, carmen inane fuit.
Ipse pater varum dulci non attulit ullam
Bochius eloquio, non Amasæus opem.
Appennine vale: tuq; o dulcissime rerum
Compater, has curas, & mea damna leva.

Tu quoq; , seu Panarus gaudes de more vocari,
Amnis ab aeriis orte cacuminibus :
Nobile seu flumen Scultenna lubentius audis,
Seu quodcunq; juvat nomen habere, vale,

AD HILARIUM CANTIUNCULAM.

De peste Patavina, & obitu Danielis Stibari.

ELEGIA VI.

EUganeam serpunt contagia dira per urbem,
Medoaci vitreas linquere tempus aquas.
Seu canis Erigones corruptas polluit auras,
Seu lacus, & multa pingue palude solum.
Semina seu labis nostros fugientia sensus
Putris ab infecta detulit Auster humo.
Caussa latet, sed pestis atrox crudescit in horas :
Demens heu Patavi quisquis in urbe manet.
Tu quoq; quid cessas dubios evadere casus,
Dum licet, & celeri sospes abire fuga?
Non tamen, ut Dominam, spreta pietate, relinquas,
Neu cadat immodico lapsa timore fides.
Turpe erit immeritam, te propter, flere puellam,
Quæ tibi jus animi credidit omne sui.
Non tu sævus in hoc, nec fas mihi credere tantum,
Usq; adeo Vates convenit esse pios.

Ergo

Ergo sive leges Citriis, Myrthoq; virentem,
Benaci melior qua fovet aura lacum,
Sive Athesis ripas, ubi desinit Itala tellus,
Abdua sive tuas, sive Timave tuas,
Seu juvat Eridani lustrare binominis urbes,
Aut longam curvi Tibridis ire viam:
Quo te cunq; pedes ducent, quocunq; voluntas,
Sit comes, & collo pendeat illa tuo.
Nec tibi secretis casa sordeat horrida sylvis:
Omnia ab immunda sint modo tuta lue.
Me domus Aonidum tenet, ac patria inclita Vatum
Felsina, tristitiæ conscia sola meæ.
Felsina, quam leni perlabitur agmine Rhenus,
Appenninigenas nobilis inter aquas.
Candida pax habitat, nec terra salubrior ulla est,
Arida dum sitiens excoquit arva Leo.
At mihi nulla quies, nec cum se condit in undas,
Nec cum Sol versis mane recurrit equis.
Jam novies cœlo fulsit nova Luna sereno,
Lumina dum somni munere fessa carent.
Non mihi sævus amor, non torridus officit aër,
Hausta nec incauta dira venena manu.
Tu studium, lususq; meos, tu gaudia vitæ
Omnia fregisti morte, Stibare, tua.
Testor honoratos manes, umbramq; recentem,
Quiq; meos lectus Diiq; animæq: vident.
Funere me nullo tantum cepisse dolorem,
Nec frater gelida cum tegeretur humo.

Nec

Nec cum longævos (Pietas ignoſce) parentes
Suſtulit, extincto lumine, nigra dies.
Jam tenues palent, egeſto ſanguine, venæ,
Succus & in lacrymas corporis omnis abit.
Nec minus accenſos febris depaſcitur artus,
Oraq; continua torret anhela ſiti:
Nec gemitu cœlum prodeſt implere, nec ullos
Vota Deos, anima deficiente, movent.
Quandocunq; igitur, fato perculſus amici,
Pones Felſinea mœſtus in urbe pedem:
Magna licet cogant properare negocia Romam,
Aut petere Hetruſci littora curva maris:
Ad tumulum tamen ante veni, manesq; ſaluta,
Florida nec cineri ſerta, refuſq; nega.
Tum ſociis, imo ſuſpirans pectore, dicas:
Huic deſiderium cauſſa perire fuit.

IN OBITUM DANIELIS Stibari.

ELEGIA VII.

DUm fugat exoriens humentes Lucifer umbras,
Et tremulo Venetas lumine ſpargit aquas.
Halcyonumq; ſonant mœſtis freta mane querelis,
Quas dolor ante alias nunc quoq; tangit aves.
Hic ego, qua Pelago Phaethontius influit amnis,
Carmina morte tua pauca, Stibare, canam.

Qua-

Qualia sub densis, hoc ipso in littore, ramis
Heliades fratri continuere suo.
Ergo age, seu liquidum colis æthera, sive quietæ
Heroum sedes, Elysiumque nemus:
Solis ad occasum, dum flemus Solis ab ortu,
Huc ades o Vati nobilis umbra tuo.
Non ego majorum laudes, ac facta tuorum
Persequar, aut culti jugera parta soli.
Nec loquar exhaustos ineunte ætate labores,
Dum sors indignum versat acerba caput.
Illa mihi Divæ melius Libetrides olim
Inclita per terras, & freta lata ferent.
Nunc dolor includit vocem, nec amabile quicquam
Suggerit ingenio Musa vocata meo.
Jamq; rubescenti tollit jubar æquore Titan,
Inq; solum radios injicit orta dies.
Ergo ubi permensus cœlum Sol occidit, idem
Purpureo vestit lumine rursus humum.
Nos ubi decidimus defuncti munere vitæ,
Urget perpetua lumina nocte sopor.
Heu spes fallaces, sic me tot fluctibus actum
Deseris in tantis, magne Stibare, malis.
Te duce, per montis juga celsa biverticis ibam,
Ocia præsidio jussus amare tuo.
Et memini quamvis crudeli plurima bello
In propriis esses passus acerba bonis.
Invalidumq; latus traheres mærore peresus,
Hausisset q; tuas insuper ignis opes.

Me tamen hæc inter secura mente jubebas
Phœbumq; , & Musas, eloquiumq; sequi,
Nunc tecum mea vota leves abiere per auras,
Nunc mea spes omnis funere fracta tuo est.
Delitiisq; animi tota de mente fugaris,
Cogor in extrema vivere tristitia.
Qualiter hyberna dum sentit frigora Bruma,
Albus ad Eridani flumina mœret Olor.
Defluit ex oculis uberrimus humor, ut olim
Liquitur Alpinis nix resoluta jugis.
Sic madet uda salix, aut vitis, vere tepenti,
Lucida cum scisso palmite manat aqua.
Nec lacrymis cessant tabescere lumina, quamvis
Arida Sol medio torreat arva die.
Pergite jam Musæ, tenues dum contrahit umbras
Phœbus, & ex æquo lustrat utrumq; fretum.
Nunc paulo majora canam, dum sæva quiescunt
Aequora, nec querulis obstrepit aura modis.
Vidimus excisas imis a sedibus urbes:
Lata cadaveribus vidimus arva tegi.
Testis Mœnus erit, Testes Pegnessides unda,
Testis & uluosæ rector Aissus aquæ.
Quos ibi per casus, per quæ discrimina rerum,
Ausus es ad magnos ire, Stibare, Duces?
Dum caput objiceres curetis sublime periclis,
Fœdera si posses firma referre domum.
Quod nisi dissidiis mens Regum læva fuisset,
Munere pax esset conciliata tuo,

Alta-

Altaq; nunc starent intactis oppida muris,
Floreretq; opibus terra beata suis.
At tibi post obitus quæ merces digna laborum,
Quæ satis ampla tuæ præmia laudis erunt?
Nil prosunt fletus, non si lapsurus in æquor
Eridanus lacrymis crescceret ipse meis,
Ipse etiam natum Clymenæ Iovis ignibus actum,
Hic clim celsis flevit in aggeribus.
Flevit Lampetie, flevit Phaethusa jacentem,
Cortice cum vidit mater mirandq; tegi.

"

"

Nec superas rediit Phaethon revocatus in auras,
Et tamen ætherea stirpe creatus erat.
Sparge puer virides, Heroum insignia, Lauros,
Et dic: has cineri spargo, Sabare, tuo.
Ut gerit æternos formosa frondis honores
Laurus, & umbrosas explicat alta comas.
Sic viret, & cœlo te gloria laudibus æquat,
Gloria, quæ cineres excubat ante tuos.
Spiritus e tenebris translatus in arva piorum
Vivit, & æterna munera lucis habet.
Illic se patitur contingi lumine claro,
Supremi soboles plena decore patris,
Vera patris soboles, nostra fons ille salutis,
Cujus inexhausta grat in fundit aquas.
Ille beatam animam dulci solatur amore,
O, qui nostra suo crimina rore lavat.

Sur-

Surgamus, lux prona fugit, deferbuit æstus,
Cogit & invitum Luna redire domum.
Sit tranquilla tibi requies, spesq; insicia luctus,
Jamq; vale: manes subsequar ipse tuos.

AD ORTOLPHUM MAROLTUM.

De secessu suo, & oblectationibus ruris.

ELEGIA VIII.

IGnea dum rapidis ardet fervoribus æstas,
Solaresq; premunt terga Leonis equi,
Ecquid in Hadriacis, Ortolphe, paludibus, ecquid
Lentus adhuc Veneta ducis in urbe moram?
Me secreta tenet frondoso villa recessu,
Villa racemiferis undiq; cincta jugis.
Compater, & Marius comites, æstiva supellex,
Rura dapes, umbram dat nemus, amnis aquas.
Finitimis illum pater Appenninus ab antris
Ire jubet, culti læta per arva soli.
Nomen aquæ Panarus (sic præsens nuncupat ætas)
Scultennam veteres, qui meminere, vocant.
Illius in ripa, sub opaca valle calores
Mobilis afflatu temperat aura suo.
Mane novo densos indagine claudere montes,
Exortoq; juvat Sole redire domum.

Um-

Umbra diem reliquum studio reducit inerti,
Et sopor in viridi, ruris amicus, humo.
Vina puer gelidis Trebiana refrigerat undis:
Fessineus nobis illa ministrat ager.
Interea veteres cantu solatur amores,
Candidus arguto cum Corydone Mycon.
Percussæq; nova resonant dulcedine sylvæ,
Et dociles circum nos imitantur aves.
Forsan & Euganeis in nunc in collibus erras,
Qua propriam zephyrus gaudet habere domum.
Floribus, & foliis, variusq; coloribus herbas
Illic, & fructum colligis omnigenus.
Ingenitasq; illic vires effendis, & usum,
Quid Thyma, quid Cistus, quid Meliothus agant.
Quid rosa, purpureum qua plena pudoris honorem
Pandit & ad liquidas natus Acanthus aquas.
Vosq; Chelidoniæ, tuq; o, quæ Solis amati
Observas nitidos pallida semper equos,
Inde per angustos vitreo de vase canales
Suppositos liquidas elicit ignis aquas.
Dumq; potestates aperis, viresq; latentes,
Carmina ceu puris fontibus hausta fluunt.
Qualia Flaminius primo cantavit in ævo,
Ad salices residens, Mesule curve, tuas.
Qualia Molsa tener, pharetrati miles Amoris,
Cui moriens dulci gutture cedat Olor.
Odi ego, qui vastis torrens exæstuat undis:
Qui fluit exiguo murmure rivus amo.

Lec-

Leniter, & nullo strepitu, quem lata rigantem
Gramina, formoso Naiades ore bibunt.
Nec rapido siccat Canis Erigonem æstu,
Sæva nec effusis imbribus auget hyems.
Vive memor nostri, seu te sinus urbis aquosæ,
Sive Aponi Nymphæ, Medoacive tenent.
Orat idem Martus, jamq; auctue prole virili
Compater, in nostris Faunus uterq; jugis.
Cætera præsentes, ubi cum pluvialibus Hœdis
Afferet Autumnum Pleias orta: vale.

AD JOANNEM SAMBUCUM PANNONIUM.

Cum gravissimo morbo laboraret Bononiæ.

ELEGIA IX.

FAta vocant, Sambuce, tuum, Manesq;, sodalem,
Jam tenebris oculos nox tegit atra meos.
Te curare decet supremum mortis honorem,
Inq; peregrino solvere justa solo.
Ne sine desertis cineres habitare tenebris,
Ossa nec immundo clausa jacere situ.
Ante fores templi, nudoq; sub æthere, tellus
Accipiat gremio frigida membra suo.
Nec tibi sit socii mors immatura dolori.
Nec veniat madidis ad mea busta genis.

Me

Me satis est multos juvenem flevisse per annos,
Dum queror ætatis tempora dura meæ.
Quin potius fessus oblecta carmine Manes,
Instaurans culta funera mæsta lyra.
Pro quibus officiis, hæres abeuntis amici,
Accipe fortunæ munera parva meæ.
Non mihi sunt Baccho colles, oleisq; virentes,
Prædiave Æmiliis conspicienda jugis.
Tu veterum dulces scriptorum sume libellos.
Attritos manibus quos juvet esse meis,
Juvenis etiam viridi quæ lusimus ævo,
Dum studiis ætas mollibus apta fuit.
Illa velim rapidis sic uras carmina flammis,
Ut Vatem ipse suis ignibus ussit amor.
Jamq; vale, & tenera bustum superintege Myrtho,
Non poterit cineris illa gravare meos.

AD FRANCISCUM ROBERTELIUM.

Cum Venetiis discederet.

ELEGIA X.

EUganeos colles, Venetamq; relinquimus urbem,
Natalis revocant dulcia rura soli.
Jam novies magnum complevit Cynthius orbem,
Purpureis toties astra remensus equis.

Dum

Dum procul a patria, belli terrore fugatus,
Mobilis, incertis sedibus, hospes ago.
Me Liger errantem, me Sequana dives, & ingens
Hospitio Rhodanus fovit, Araris; suo.
Nec semel incertum vita, praeruptа Pyrene
Vidit, ad Hesperii litora curva maris.
Inde ferax Latium petii, tendensq; per Alpes,
Frigus in aeriis rupibus aere tuli.
Nunc requies erroris adest, finisq; laborum,
Post duo fas tandem lustra reire domum.
Urbs Venetum, Regina maris, mihi tempore longo
Culta, sed (heu) posthac non habitanda, vale.
Robertelle vale, servaq; absentis amorem
Qui maneat, dum nos dii superesse volent.
Quis mihi nunc ventos una passurus, & imbres,
Per juga monstrabit nubibus aqua viam?
Non ego te quercus, & saxa videbo rotantem,
Cincte pruinosis spumifer Oene jugis.
Fert animus castos Benaci visere lucos,
Citria qui ripis gignit odora suis,
Et colles lustrare sacros, ubi Tyrius olim
Ire domum saturas vesperе jussit oves.
Hinc Tarrum, Labrumq; petam, quaq; herbifer altis
Montibus inclusas Larius arctat aquas.
Et patriam Rheni Danubiiq; domum.
Sic ubi me sistet reducem sors prospera, nec tu
Injicies avidas mors prius atra manus:

Flu-

Flumina cum sylvis, & quæ pater ante solebat
Contentus cultu paupere, rura colam.

P. LOTICHII SECUNDI ELEGIARUM.

Liber Quartus.

AD JOACHIMUM Camerarium Pabeberg.

ELEGIA I.

QUæ legis, unde ferant quæris, Ioachime, salutem
Imparitер junctis condita verba modis.
Hinc, ubi Celtarum Belgas disterminat oris
Sequana, cui vitreas Matrona jungit aquas.
Spumifer & Regis veterem circumfluit urbem,
Et bifido geminum amne latus.
Forte rogas, quæ sit rerum fortuna mearum:
Et procul hic Musis nunqvid, ut ante, vacem?
Scilicet hæc doctis quoniam favet artibus ætas,
Aonii suades numina fontis amem.
Magna fuit quondam sacri reverentia Vatis,
Inqs pari precio carmen, & autor erant.
Carmina nunc tantum, si non sunt dura, leguntur
Carminis autori nullus habetur honor.

Non

Non tamen Aonidum curam dimittere possum:
Ante vel incipiam non memor esse mei.
Nec minus & rerum causas scrutamur, & ortus
A sole, & Luna, sideribusq; vices.
Atq; valetudo qua sit reparabilis arte,
Quæq; juvet radix, quæq; sit herba nocens.
Sed tua, quicquid agam, mihi semper inhæret imago,
Pectore dum vivam non abitura meo.
In caput ante suum ripa labentur eadem
Undosus Ligeris, Sarmaticusq; Tyras.
Ipse bibam succos omnes e gurgite Lethes;
Ipse soporiferas, si modo dentur, aquas:
Non tamen ulla tui facient oblivia nobis,
O sacer Aonii dux, Joachime, chori.
Ut careo vobis, digressus ab axe, peregit
Jam semel exactis mensibus annus iter.
Sive tamen propria tellus absconditur umbra,
Seu rosea Phœbus luce revisit humum.
Dum modo lustramus veteres, decora alta, ruinas,
Quicquid & in ripæ margine campus habet.
Aut simul abruptos delamentamur amores,
Sæpe recordantes, Herbifer Albi, tui.
Omnibus interea te vox mea nominat horis.
Nomini usq; adeo mentio grata tuæ est.
Sunt etiam dulces, qui te venerantur, amici,
Alloquiis quorum tempora sæpe levo.
Præcipue patriæ consors Beutherus, & idem
Doctus Apollineæ plectra movere lyræ.

Qui

Qvi nunc ſhiſtoriæ campis ſpaciatur apertis,
Et docet ad certos cuncta locare dies.
Et ſpacia annorum repetens ab origine mundi,
Per revoluta novum ſecula carpit iter.
Dixerit hæc aliqvis prius edita ſæpe, fatemur,
Scriptorum proprias qvoq; ſeqvente vias.
Eqvibus ipſe leges qvæ conuenientia ducit,
Ante tamen poſitis omnibus, illa probat.
Qvinetiam, multis qvod inextricabile viſum,
Explicat: & cauſſas, ut tueatur, habet,
Omnia qvæ memori dum verſat pectore, Titan,
Iam ſua ter rapidis ſigna recenſet eqvis.
Interea populos etiam luſtravit, & urbes.
Et vaga Santonicum per mare vela dedit.
Addidit & fandi numeroſas legibus artes,
Arma gravis tractans imperioſa fori.
Cum tamen à rerum cura majore qvievit,
Tempus in his ſtudiis ponere dulce fuit.
Qvid loqvar, ut rebus geſtis, dum tædia vitat,
Sic qvaſi diverſis floribus ornet opus?
Acta voluminibus cognoſces eruta priſcis,
Multaq; Pierides quæ vetuere mori:
Qvicqvid et hoc ævo memorabile, pace, vel armis,
Vidit ab Oceano Phœbus utroq; geri.
Non aliter cultos, geniali vere, per hortos,
Non ſpecies violis, non color unus in eſt,
Puniceaq; nigris, croceas cingentibus albis,
Pulcrior eſt variis nexa corolla roſis.

Hæc tibi docta mei dono monumenta sodalis,
At mihi cur potius non tua mittis? ais.
Mollia sæpe quidem deducere carmina tento,
Non tamen, ut puris auribus illa probem.
Sat mihi sit rigidas interdum fallere curas,
Solamenq; mali præmia magna voco.
Hæc tamen interea damus, ut cognoscere possis,
Non minus idcirco nos meminisse tui.
Atq; utinam liquidas Ilmri résidentis ad undas,
Sic opus in lucem nobile Vatis eat:
Tempora quo fastis signata volubilis anni
Condit, & imparibus sacra, diesq; modis:
Sidera quo faciant discrimina temporis ortu,
Utq; sub occiduas prona ferantur aquas.
Quasq; vices rerum lustrans Hyperione natus,
Annua bissenis mensibus astra regat.
Sed nunc ingenium rapit in contraria luctus,
Et qverula deflet publica damna lyra,
Sic tamen & requiem curis mordacibus affert,
Et pius est, patriæ vulnera flere, dolor.
Ille gemit, celsæ resonant lugubria rupes
Carmina labentes sistit & Ilmus aquas.
Forsitan hæc etiam tandem, post nubila, finem
Pessima mutatæ sortis habebit hyems.
Aonii rumpent tunc alta silentia Vates,
Plectra metu quorum nunc, Joachime, silent.
Et quæ destituit fugiens prius, orsa resumet
Mæsta, per assuetas rursus itura vias.
Sed quodcunq; sequens iterũ trahet hora, ferendũ
Ipse tamen sortis spe melioris alar. (est:

Assi-

Assiduoq; tuũ, meriti non immemor unqvã,
Nomen inoblito pectore dulce feram.
Tu quoq; ne curã depone absentis, & hujo
Muneris officium consule quæso boni.
Atq; aliquod rursus studii, Joachime, recentis (opus.
Mitte, qvod hic cupida mente legamus,

AD PHILIPPUM MELANthonem.

De obitu clarissimi viri Jacobi Micylli.

ELEGIA II.

FLebilis à Nicro gelidũ miraris ad Albim
Cur veniat passis Musa, Philippe comis.
Nec præcincta gerat viridantia tempora Lauro.
Vestis inæquales sed tegat atra pedes.
Scilicet hic lacrymis color est, & luctibus aptus,
Hic habito mœsti pectoris esse solet. (bem,
Luna bis implevit crescentem cornibus or-
Bis radios verso condidit orbe suos: (oris,
Ex quo, Vangionum cultis digressus ab
Liquisti patriæ rura propinqua tuæ.
Tristibo interea Lachesis nos dura fatigat
Casibus, & lætos non sinit ire dies.

Utq; alios taceam, quos functos munere vitæ,
Abstulit immiti Parca seuera manu.
Ille decus Phœbi. Musarum cura, Micylus
Occidit, Heu fallax, & breve, vita, bonum.
Hæc igitur meta est nostrorum summa laborum?
Hac miseri vates conditione sumus?
Tertia post actas Iani lux venerat Idus,
Quam tulerat fuscis Lucifer ortus equis.
Cum, velut occultas volvens sub pectore curas,
Imposuit tristi langvida membra thoro. lum.
Parva mora est, pectus quatit arida tussis anhe-
Accensamq; levant pocula nulla sitim.
Principio succus tamen omnes ille perosus
Insuetam medicæ respuit artis opem.
Nox rapidis imos torreri febribus artus
Sensit, & angustas gutturis esse vias,
Heu mihi, nil artes seræ juuere medentum,
Artificum doctæ nil potuere manus.
Ergo jaces, patriæ decus, o clarissime Vates.
Et Grajæ, & latiæ gloria summa lyræ?
Nec potui, cum te premeret jam serior ætas,
Præmia pro meritis soluere justa tuis.
Tu mihi quærenti sacras per inhospita Musas,
Ad juga monstrasti primus amœna viam,
Nam leve seu velles Elegis deducere carmen,
Sin; magis Herois altius ire modis.
Sive lyram digitis percurrere, sponte fluebant
Molliter in numeros verba diserta tuos.

Ergo

Ergo, qvod Aonii secretas fontis ad undas,
Plena puer, Phœbo pocula dante, bibi:
Longius & cultos Sophiæ digressus in hortos,
Florida de Lauro serta virente tuli:
Me fateor debere tibi: cineriq; rependam
Omnia, qvæ pietas suadet, amorq; tuo.
Ante Nicer Ligeri, Rhodano miscebitur Ister,
Nec rapidus liqvidas Rhenus habebit aqvas:
Qvam ventura dies, aut ulta redarguat ætas,
Effluxisse animo tot benefacta meo.
Nunc, precor, has lacrymas. atq; hæc suspiria tan-
Care parens, veri signa doloris habe, (tum,
Mox ubi fœcundas mulcere Fauonius auras
Cœperit & gremium læta resoluet humus;
Tunc flores ad busta nouos, violasq; recentes,
Semper odoratas Veris habebis opes.
Sic qvoties tumulo uia proxima ducet euntes,
Incola seu faciat, siue viator iter
Nullus erit, qvi non repetens suspiria, dicat:
Sit reqvies cineri, paxq;, Mycille tuo.
Qvin etiam, qvam lata patet Germania, vates
Passim merte tua carmina mœsta canent,
Qvalia ramorum densa Philomela sub umbra
Concinit aut moriens qualia tristis Olor,
Te procul ad Viadri ripas lugebit ademtum,
Gloria Castaliæ prima SABINVS *aqvæ.*
Claraq; percensens operum monumenta tuorum
STIGELIVS, *dulces fundet ab ore modos.*

Parq;

Parq; senex studiis, & par Camerarius annis,
Pauca, sed in laudes concinet apta tuas.
Vos quoque consortes patriæ, mea turba sodales,
Ausonis in gremio quos fovet ora suo:
Quorum flexibiles errant per tempora Myrthi,
Et lateri semper candidus hæret Amor:
Seu vada Medoaci colitis, seu Felsina mater
Præbet in Aemiliis ocia grata jugis:
Fama per aerias cum nuncia venerit Alpes,
Flebitis argutæ plectra tacere lyræ.
Heu, spes fallaces: & mens improvida Vatum,
Qui stabilem vitæ creditis esse moram.
Quid prodest totas hyberno sidere noctes,
Quid studiis longas continuasse dies?
Si tamen in tenebris opera interrupta jacebunt,
Musaq; cum Domino pene sepulta suo est?
Vester honos agitur, mites Heliconis alumnæ:
Vatibus a sacris hoc prohibete malum.
Tu quoque (nec dubito) nunquam patiere Melanthon,
Scripta tot æterna nocte situq; premi.
Ante meos oculos, imisq; in sensibus hæret
Ultima digressus hora, PHILIPPE, tui.
Quanta pium (memini) mulcebant gaudia pectus?
Quantus in amborum mentibus ardor erat?
Felix, ante obitus cui saltem fata dederunt,
Aspectuq; tuo, colloquioq; frui.
Scilicet hæc secum dura solatia mortis
Attulit ad manes, Elysiumq; nemus.

Nec

Nec decet, aut fas est, nos illum flere sepultum
Amplius, & lacrymis ponere nolle modum.
Ille quidem dulces auras, & amata reliquit
Lumina, sub gelida contumulatus humo.
Fama tamen superest, & totum nota per orbem
Gloria, Castalia quam peperere Deæ.
Nec tua longa dies delebit scripta, Micylle:
Juris in ingenium mors habet atra nihil.
Adde, quod ereptum terris, pietasq; fidesq;
Ante Deum, cœlo, sideribusq; locant
Non levis ambitio, non impius ardor habendi,
Nullus in elato pectore fastus erat.
Provida sed virtus, & flore nitentior omni
Candor, & innocua cum pietate fides,
Ipse ego, qua vidi, referam, quaq; auribus hausi,
Solamen nostris dulce, piumq; malis.
Jam mortis prope tempus erat, volucerq; silenti
Pegasus Hesperias nocte subibat aquas.
Pegasus, unde sacri latices Aganippidos undæ
Vatis, & occasus sideris unus erat.
Ergo ubi sensisset labi per viscera mortem,
Hæc dedit in mæsto verba suprema thoro.
Fata vocant, moriorq; libens, valeatis amici,
Regia siderii me vocat alta poli.
At tu, Christe, novæ qui nobis gaudia vitæ
Reddis, & in supera das regione locum:
Huic abeunti animæ placidam largire quietem,
Ne mihi sit pretium mortis inane tui.

Me liqvor ille, tuo stillans è vulnere sancto,
Abluat, hos æstus, hanc leuet ille sitim.
Dixit, & intenues migravit spiritus auras,
Et placidus clausit lumina victa sopor.
Et qvis adhuc dubitet, cœlesti sede receptum,
Sidera sub pedibus celsa videre suis?
Illic aut obitus astrorum spectat, & ortus,
Qvoq; suum Phœbus tramite currat iter:
Aut cupido prima complexu conjugis hærens.
Fata senectutis narrat acerba suæ.
Seq; tot ærumnis gaudet, curisq; solutum,
Amplius haud ullas posse timere vices.
O, ubi plena sacro manat torrente voluptas,
Verus ubi pleno fonte redundat amor.
Salve care parens, alti novus incola cœli,
Non mihi, qvi genuit, care parente minus.
Tecum delicias, & gaudia nostra tulisti,
Qua nulli poterunt restituisse dies.
Hæc ego, dum flentes comitamur funus amici,
Flebilibus cecini Pauca, PHILIPPE, *modis.*
Plura dolor prohibet: Salve cultissime Vates,
Inq; beatorum pace, Micille vale.

IN NUPTIAS MARCI Ludovici Ziegleri, Iurisconsulti, & Catharinæ Reiffstockin, virginis.

ELE-

ELEGIA III.

SI mihi præterit & Ver illud amabile vitæ,
Ingeniiq; forent libera jura mei
Invida nec tacito confectum cura dolore,
Cogeret ætatis tempora dura qveri.
Forsitan argutas qvæ possent ire per aures,
Concinerem thalamo carmina, MARCE, tuo.
Qvalia sub Myrtho qvondam redolente canebam,
Qvæ trahit Hesperias in mare Lædus aqvas.
Florida cum teneris seruiret amoribus ætas,
Esset & in precio nostra juventa suo.
Tunc ego reguabam gelidam nec ad usq; Pyrenen
Cultor Appollineæ notior artis erat.
Nunc vigor omnis abest, curisq; exhaustus amariis,
Ingenii cecidit spiritus ille mei,
Ne tamen officium veteris tibi desit amici,
Desuetæ repetam fila canora lyræ.
Ergo age, qvæ tenero celebras connubia cantu,
Ad nova conjugii gaudia Musa veni,
Sed qvia nec violas, nec lætos arida flores
Educat, aut molles terra perusta rosas:
Sume Palatini culto de Principis horto,
Qvæ tegat ornatas Laurus odora comas.
Turrigeram, Nymphis comitantibus, ibis in urbem
Qua jacet imperii nobile Spira forum.
Aura favet, Cauriq; silent, dum mane rubentem
Euocat auroram Lucifer, illa diem.

En etiam thalamo felices exerit ignes,
Cum matutino lucida Sole Venus.
His comitem roseo se Juppiter addit in ortu,
Qua puer hybernas fundit amatus aquas.
Te quoq; prima videt geminis cum piscibus, Eos,
Juventor curvæ, Pleiade nate, lyræ.
Quæq; levat gravidas partu Lucina puellas,
Purpureum medio spargit ab orbe jubar.
omina Scilicet hæc tædæ sunt omnia læta jugalis,
Hæc fortunati nuncia signa thori.
Sol oritur, reseratq; diem, jam lucet, eamus:
Plana sinisterior, nec salebrosa via est.
Tu Dea, cantantes ut eamus, amabile quiddam
Concine, jucundum carmine fiet iter.
Primus Hymen caram juveni, carumq; puellæ
Conjunxit juvenem, certaq; jura dedit.
Ante vagos hominum genus exercebat amores,
Nulla verecundi cura pudoris erat.
Invia pro thalamis nemorum deserta colebant,
Antraq; furtivum sæpe cubile dabant.
Primus hymen docuit lectum servare pudicum,
Et statuit proprio queq; jacere thoro.
Idem virginibus formæ præcepta colendæ
Tradidit, & cultus jussit habere modum.
Neve genis, limisve oculis, nutuve loquaci,
Neve superciliis falleret ulla virum.
Tu populos, genialis Hymen, moderaris & urbes,
Tu facis unius corporis esse duos.

Nil,

Nil, sine te, Venus alma potest Iovis inclita proles,
Comprobet assensu qvod bona fama suo
Dulcis Hymen, Hymenæe, Hymen, qd. gaudia dif-
Tædifer Vraniæ nate sororis ubi es? (fers?
Aspice, brumali dum torpet frigore cœlum,
Ut tristes errant per nemus omne feræ.
Nullus honor silvis, mœrent sine amore volucres,
Et gemitu vidui turturis arva sonant,
Cœlibis hæc vita est, consorte carentis imago,
Hæc desolati tristis amoris hyems. (tum?
Eia age dulcis Hymen qvid vota moraris aman-
Huc ades, ô sacris, blande Hymenæe, tuis.
Vere novo, molli cum vernat gramine tellus,
Arbor & umbrosas explicat alta comas.
Luxuriant, saliuntqve greges, tectæqve sub altis
Frondibus argutæ consociantur aves.
Gemmas vitis agit, teneras humus educat herbas,
Induit & flores quælibet herba suos.
Talis cum socia fœcundus conjuge lectus,
Sic etiam fructum fœmina, virqj, ferunt,
Hymen, o Hymenæe, Hymen: sed fallit? an amnē
Conspicimus, brevior carmine facta via est.
Dicite, qvi colitis Rheni vada cærula, nautæ,
Ecqvis ad algentes constitit hospes aquas?
Sic ego: sic Licmon, jam cœlo qvinta refulsit
Delia, nocturnos quæ moderatur eqvos.
Cum teneram ducens forma præstante puellam
CNODIVS hæc agili remige fecit iter.

CNODIUS interpres legum, cui Nectaris instar
Dulcis honorato profluit ore sonus.
Sed cum mane novo Tithonia surgeret uxor,
Exortaq; darent astra fugata locum,
Venit, nescio, quis pharetra succinctus, & arcu,
Ales, egens oculis, & sine veste puer.
Hunc senior Celadon formosum dixit Amorem,
Dixit, & accensas uirus habere faces.
Ille Deas omnes ussit, fluviumq; tenentes
Najades: in ripa tela relicta jacent.
Venit & alma Venus (nec enim Dea notior ulla est)
Et blandus Veneris terga secutus Hymen.
Felices ripæ, fortunatissima tellus,
Numina tot pedibus quam tetigere suis.
Fallor? an antiquæ celsis in mœnibus urbis,
Tympana cum citharis rauca dedere sonum?
Templa petit Sponsus, sacras ut firmet ad aras
Promissam thalami, numine teste, fidem.
Qualiter irriguo flos intemeratus in horto,
Gramineum suavi mulcet odore solum:
Sic tenero vernat iucunda flore inventa,
Formoso juvenis corpore, mente senex.
Hoc faciunt mores & docti pectoris artes,
Iudiciumq; sagax, eloqviiq; nitor,
At juxta celebres, Juris tria lumina, fratres,
Præsidium neptæ dulce sororis, eunt.
Vna manus Patrem (qvis crederet) unus eodem
Laurigero natos dixit honore senex.

Inclita

Inclyta sublimi qva surgit vertice Sena,
Arbiaq; Vmbronæ limpidus auget aqvas.
Sena domus qvondam Phœbi, nunc turbine Martis
Triste sub Hetrusci Principis acta jugum.
Te qvoq; non ausim dulci cum fratre silere,
O decus Agninæ nobile, MARCE, domus.
Condita nam memori sub corde recentia servo.
Signa voluntatis non moritura tuæ,
Sed jam Sponsa venit, manibus deducta suorum.
Virgineumq; regit conspiciunda chorum.
Qvaliter astrorum cœlo Regina sereno
Luna, repercussis nocte refulget aqvis.
Qvale vel Oceani liqvidis jubar exerit undis
Lucifer, Auroræ prævia stella suæ.
Sic viuus micat ore nitor, sic lumina flagrant,
Cincta superciliis lumina nigra suis.
Florida nativos comitatur gratia mores,
Pone subit roseus, subseqviturq; decor.
Scilicet ingenuo cunctas in pectore dotes,
Casta qvibus laudem virgo meretur, habet.
Nec genus, aut proavi desunt, & sortis amicæ
Munera inexhausto fonte beata fluunt.
Illa sed argutos in me qvæ figit ocellos?
Aspicis ut moles erubuere genæ?
Qvæcunq; est, utinam sese patiatur amari,
Naturæ facies arguit esse bonæ,
Fortunata, sacro si qva es dilecta Poetæ,
Spectabis cineres nomen habere tuos.

Ah, pereat qvisqvis præfert virtutibus aurum,
Ingenium cunctas nobile vincit opes.
Hactenus hæc: Dea flecte genu, bona verba sacer-
Incipit & sacras fundit ab ore preces. (dos
Et canit, ut fuerit pessima, exordia mundi
Illa creatori proxima cura Deo:
Ut peragens dulci coniunx cum conjuge vitam,
Cognatum porro traderet usq; genus.
Ergo velut patulâ vitis se tollit in ulmo.
Vitis & impositum sustinet ulmus onus.
Sic pius vxori vir adhæreat, vxor amati
Sedula procuret remq; domumq; viri.
Se bene habet, junxere manus, arasq; relinqvunt,
Agmen & è sacra jam redit ade domum.
Nunc locus affari sponsum, nunc jungere dextras
Res sinit & dulci solvere verba sono.
MARCE decus patriæ, faciles cui munera Dini
Omnia munifica contribuere manu.
Hospita linqventes vicini flumina Nicri.
Venimus ad thalami gaudia festa tui,
Accipe, quod fuit, confectum carmine munus.
Aeternum nostræ pignus amicitiæ.
Nos Liger & Rhodanus nos pubescentibus annis
Iunxit, honorata Seqvana rector aqua.
Qviq; tot egregias urbes, nemorumq; recessus
Cæruleus tardis flexibus ambit Arar.
Nos simul Hadriacas puppi sulcavimus undas,
Aeqvora qva Venetus prospicit alta Leo.
Nec pater Eridanus, nec amoris nescia nostri.
Felsina, qva lauro cinxit utriq; comam.

Sæpe

Sæpe graves tulimus morbosi sideris æstus,
Inq; pruinosis Alpibus acre gelu.
Tempore tam longo nullis mollescere vidi
Illecebris sensus, delitiisve tuos.
Unus amor nobis, eadem domus, una voluptas,
Lædere quam potuit nulla qverela, fuit.
Nunc tibi parta quies, & quod sperare solebas,
A superis casti munus amoris habes:
Munus habes, Regum gemmas quod vincit, & aurum,
Et qvicqvid rubri voluit arena maris
Quis non divitiis fidos uxoris amores
Præferat? & sobolis gaudia, spemq; suæ?
Sis felix, faveatq; tuis concordia votis,
Mella fluant thalamo, lacq;, merumq; tuo.
Huc ades, ô Hymenæe, novos jam Vesper amores
Advehit, Aonium Musa revise nemus.
Intrat Hymen thalamos, valeas dulcissime Marce,
I prior, exemplo mox seqvar ipse tuo.

AD GEORGIUM CRACOVIUM JURÆconsultum.

In obitum PHILIPPI Melanthonis.

ELEGIA IV.

Dum

DVm tepet apricus, Zephyris spirantibus, aer.
Blandaq; purpurei tempora Veris eunt:
Almaq; fœcundo se vestit gramine tellus,
Arbor & umbrosis induit alta comas:
Errabam Nicri secessus inter amœnos.
Mollis adhuc vitreo rore madebat humus.
Prata videns circum, florum mirabar honorem,
Henis ab herbosis dum strepit aura jugis.
Grata salutabant orientis lumina Solis
Dulce viatori mane levamen, aves.
Nuncia cum luctus tua uenit epistola Craco,
O qvoties lacrymis humida facta meis.
Sic igitur moriens, sic ô divine Melanthon,
Funere perturbas gaudia nostra tuo.
Raptus es, heu (nec vana fides) tumulumq; recen-
Attonitus muta præterit Albis aqva. tem
Scilicet hac miseris deferat sors ultima rebus,
Hic cumulus nostris debuit esse malis.
Deseris insanis puppim, bone Rector, in undis,
Nutat, & in medio fluctuat illa mari,
Te sine nil lætum nobis, nec amabile quicqvam,
Delicias mundi sustulit una dies.
Morte tua cœli facies mutata sereni,
Terraq; vix natas mœsta recondit opes,
Pastoresq; sonant vacuos lugubre per agros
Atraq; mutato sidere squalet hyems.
Ipse ego qvi viridi redimitus tempora Myrtho,
Lætus odorati tempore veris eram,

Finge-

Fingebámq; tuas qvæ possent ire per aures,
Tutaq; iudicio doctæ per ora tuo.
Nunc studium, Musasq; omnes, lucemq; perosq;
Carmina lugubri concino mæsta lyra.
Hæc cineri suprema, tuo sint munera, qvamvis
Gratia par meritis non qveat esse tuis.
Nec mihi spes æqvare tuæ præconia laudis,
Arduus ingenii divitis ille labor,
Qvi volet, is lybicæ numerum subducat arenæ,
Cum rapidum Pleias turbat aqvosa fretum.
Sat mihi, si nostrum dolfor hic testetur amorem,
Meq; obitu gemitus non tenuisse tuo.
Nam licet occiduo traherem sub cardine vitam,
Vespere qva lassis Sol juga demit eqvis.
Seu populos inter Phœbi qvos inficit ignis,
Sidera qvos extra nostra jacere ferunt,
Has tamen infertas, qvocunq; sub æthere ferrem,
Et memor ignoto staret in orbe lapis.
Te puerum vix linqventem cunabula, Musæ
Certatim donis excoluere suis.
Maternaq; tibi consangvinitate propinqvus
Monstravit voræ Capnio laudis iter.
Capnio qvem Tybris, qvem frater Tybridis Arnus
Progeniem nostri sangvinis esse negant.
Illius Arctoas tusse digressus in oras.
Cæpisti ingenii spargere dona tui.
Et velut exiguus primum sine nomine rivus.
Per viridem tenui murmure serpit humum

Mox

Mox magis atq; magis labendo viribus auctus,
Communes populis sufficit uber aquas.
Sic artes crevere bona, tua gloria crevit.
Adiecitq; aliqvid proxima qvaq; dies.
Fortunata nimis sub sidere Mænalis ursa
Terra prius fœdo sqvallida tota situ.
Ille tuas jussit Musas regnare per urbes,
Et pulsare novo pectine fila lyræ.
Inclita tunc geminæ rediit facundia lingva,
Barbariesq; dedit, cedere jussa, fugam.
Calliopeq; suis comitata sororibus ultro
Mænalio posuit læta sub axe domum.
Tum pater, ignotum prius atq; ignobile flumen,
Cornua limosa sustulit Albis Aqva.
Et, qvos nulla prius flores conspexerat ætas,
Fudit odorifero terra benigna sinu.
Hinc legere novi sibi serta recentia Vates,
Gloria qvos humeris euehit alta suis,
Seu nada, care senex, habitasses Syrris iniqva,
Sive sub Aemoniis invia saxa jugis:
Illuc castaliæ migrassent sponte sorores;
Ortus & Aoniæ fons novus esset aquæ.
Fallor? an hoc terris superi restare monebant,
Sideraq; in cunas officiosa tuas;
Cum Iove Mars primo fuisit tibi mitis in ortu,
Thessalus hospitio fovit utrunq; senex.
Inventorq; lyræ faustos tibi præbuit ignes,
Humida qua liquidas vena refundit aquas.

Falcife-

Falciferumq; ſenem, qvamvis nil triſte minantem
Molliit in qvinta candida ſede Venus.
Cynthia per felix, inculmine, virginis aſtrum
Oppoſitos fratris currere vidit eqvos.
Inde tot egregia culto ſub pectore dotes,
Dona tot, ignorat qva rude vulgus, erant.
Gratia Diis, qvod læta tuo mihi tempore naſci,
Præceptiſq; tuis fata dedere frui.
Septimus a decimo (memini) jam ducitur ætas,
(Tam cito tot læti preteriere dies.)
Cum tibi præclaras puer erudiendus in artes
Traditus, Aonidum captus amore, fui.
Non mihi maluerim qviqvid Tagus egerit auri,
Qviquid habet rubri dives arena maris.
Tu mihi monſtrabas bifidi juga frondea montis,
Deducens fida, ceu pater ipſe, manu.
Non tibi per Latium, tot clara per oppida, vidi
Seqvana nec tumido qva fluit amne, parem.
Clara per Europam tua fama, per aſida terram,
Nec lybiæ laudes neſcit aduſta tuas.
Tu præcepta Dei pandens arcana, docebas
Gaudeat ut pura mente fideq; coli.
Doctrinaq; pio celeſtis amore, ferebas
Mille viæ caſus, tadia mille ſenex.
Non magis hac judex, qvam parte ſeverus in illa,
Iuſta velut premitur pondere libra pari.
Impia nec contra diræ conuicia linguæ
Cauſſa laceſſitas impulit æqva manus.

Non ego modaci perstringam carmine qvenqvam,
Nullus in hoc unqvam pectore livor erit.
Si tamen audebunt manes violare sepultos,
Thisiphone furiis qvos agit atra suis:
Non cineres, uenerande, tuos patiemnr inultos,
Pro tumulo Pietas induet arma tuo.
Albi pater, pater Albi, leves abiere per auras
Omnia, qvæ propter uiuere dulce fuit.
Si qvid habent veri timidæ præsagia mentis,
Pœna venit lento sera sed ampla pede.
Iam video instantes fatali lege ruinas,
Præliaq;, & fuso pingue cruore solum.
Voluimur huc illuc, veluti spoliata Magistro,
Cymba per Aegæas naufraga fertur aqvas.
Ergo nec affari mihi te dulcissime, saltem
Extremum licuit funeris ante diem.
Cum pectus tibi dira sitis torreret anhelum,
Ureret & miserum febris acerba jecur.
Ipse salutiferas herbas, succosq; dedissem,
Quos miscere aliæ non didicêre manus.
Ipse Deum supplex in vota precesq; vocassem,
Assistens lecto peruigil usq; tuo,
Namq; preces castæ pallentes pellere morbos
Uotaq, Pæonia fortius arte solent,
Non licuit saltem voces audire supremas,
Atq; anima tecum deficiente loqvi.
Non positum lacrymis sparsi venerabile corpus,
Florida non cineri serta rosasq; dedi,

Qvod

Qvod possum, tibi mane nouo, tibi vespere sero,
Mæsta tibi media carmina nocte canam,
Nec brevis hæc finem statuet mihi vita doloris,
Si qvid adhuc vitæ Dii superesse volent.
Non animum verni mulcet clementia cœli,
Non levis afflatu me juvat aura suo.
Fœcundisq; rosæ, Lauriq; videntur in hortis,
Cumq; maris viridi lilia rore mori,
Alma parens tellus, cujus cognomen habebas,
Deficit, & fœtus negligit ægra suos.
Ipse etiam veteris Nicer haud oblitus alumni,
Cœruleas largis fletibus auget aqvas.
Hic fuit, hic studuit, puer hoc in cespite lusit,
Hic pater, hic genitrix, hic habitavit avus.
Colle sub hoc tenui deduxit carmen auena,
Hic decor, hæc doctæ gratia vocis erat.
Talia dum recolit, lacrimarum gurgite flumen
Crescit, & undosis fluctibus antra fremunt.
Mæstaq; vicina residens Philomela sub umbra,
Flebile mœrentes concinit inter aves.
Æmula sucundi Phylomela Melanchthonis ales,
Par honor, & lingvæ candor utriq; fuit.
Omnia qvæ tellus, qvæ pontus, & educat aër,
Interitu lugent, magne Philippe tuo.
Si tamen illa Dei fuit (ut fuit) alma voluntas,
Nostra nec infectum reddere vota qveunt:
Corporis exuviis & mortis lege solutum
Gratulor ætherea te regione frui:

Postq;

Postq; tot insidos maris implacabilis æstus,
Nubila jam pedibus cuncta subesse tuis.
Iam canis unigenam natum rerumq; parentem,
Per fortunati culta vireta soli.
Illic sunt, qvicunq; Dei Præcepta secuti
Iusticiæ certas nos docuere vias.
Non illic morbi, non ærumnosa senectus,
Non graue pauperies urget acerba malum.
Sed citharæ, cantusq; vigent, animæqve piorum
Ipsius è vitæ fonte perenne bibunt.
Æterniq; patris mens & sapientia CHRISTVS
Feruida diuino lumine corda rigat.
Salve magne parens, alti nunc ætheris hæres,
Et fruere æternis, quæ tibi parta, bonis.
Discipuliq; tui uocem cognosce supremam,
Nec pietas cineri sit gravis ista tuo.
Terra tuum violis ornet, lauroq; sepulcrum,
Floreat æternis urna beata rosis.
Ossaq; trenqvilla semper tua sede qviescant,
Semper ad Albiacas vox tua vivat aquas.
Hoc precor, his saltem mundi solus, annue votis,
Ipse vagi curam suscipe CHRISTE gregis.
Per nomen, venerande, tuum, nostramq; salutem,
Sanguine qvæ miseris est reparata tuo.
Perq; tuos, dum corpus erat mortale, labores,
Per majestatem numinis oro tui.
Extremæ per dira precor ludibria mortis.
Respice desertas, optime Pastor, oves.
Respice nos, tenues cum spiritus ibit in auras,
Summaq; cum terris fulserit illa dies.

Qua

Qva tuba per trepidas sonitum dabit horrida nubes,
Hęq; triplex mundi flamma resoluet opq.
Et bene habet: nec enim, genitor dulcissime, longe
Auguror adventus tempus abesse tui.
Interea laudesq; tuas, nomenq; canemus,
Tu modo da dulci, Christe, qviete frui.

IN OBITVM MANGOLDI AB Hutten Eqvitis Franc.

ELEGIA V.

HAs tuq inferias Vates Huttene, Secundo
Hæc tibi pro meritis munera solvo tuis.
Qvandoqvidē viridi nobis te sustulit ævo,
Qvæ nil egregiū mors sinit esse diu. (mos,
Forsa & hæc manes pietas descendet ad i-
Sera qvidē pietas grata futura tamen.
Flere tuos obitq jubet illud amabile quon-
Nunc interruptæ fœdus amicitiæ. (dam,
Namq; etiam tumulis suus est honor, inq; sepultos,
Mens pia flebilibus testificanda modis
Et mortem vitæ testem, finemq; laborum,
Laudibus ornatam convenit esse suis.
Elysiis igitur qvamvis jam lætus in hortis,
Inq; nova vitam luce perennis agas:

Funeris

Funeris extremum tamen hunc largimur honorem
Virtutis pereant ne monumenta tua.
Invida consumit titulos, & busta vetustas,
Et spolia in templis exuuiaq; ruunt.
At si quem dulci celebrarunt carmine Musæ,
Ille vel inuita morte superstes erit,
Quos libet, hos memori vatum labor eximit ævo,
Longæui possint ne nocuisse dies.
Te quoq; sublatum quamuis in flore iuuentæ
Inter honoratos gloria tollet avos.
Florida vix septem jam lustra peregerat ætas.
Iniecit rapidas cum fera Parca manus,
Nec tibi nobilitas, nec profuit inclita virtus:
Tam cito belligeri gloria Martis ubi es?
Cynthi per herbosas gelido qui flumine valles
Laberis, & patriæ dividis arua meæ:
Inclita tu priscæ spectas cunabula gentis,
Illic prima scatet fontis origo tui.
Ardua qua vacuas turres extollit in auras
Arx a præcipiti nomen adepta jugo.
Illic Mangoldus, qvem deploramus ademtum,
Vagiit, illustri sangvine natus eqves.
Qvis veterum referat decus immortale parentum?
Amplaq; victrici præmia parta manu?
Bis tria jam cœlum permensus secula Titan,
Et totidem roseis lustra peregit eqvis.
Cum celebres atavi factis, eqvestribus armis,
Sanguinis auxerunt nomina clara sui.

Aucu-

Aucupii Cæsar cum dictus ab arte, juberet
Ficta novo primum prælia more geri.
Qua gelido magnas a vertice despicit urbes,
Per mare velivolas quæ regit, ursa, rates.
Hinc genitor, belli fulmen, quem marte furentem
Horruit attonita sæpius Ister aqua.
Hinc patruus, notum cujus super æthera nomen,
Pervolat, immensi Solis utranq; domum:
Huttenus, quem fama vehet plaudentibus alis.
Ordo per Europam donec equester erit.
Majorum tumulos obliquis Cynthius undis
Alluit, Heroum manibus illa domus.
At tu, quæ bustis fortuna negavit avitis,
Gurgite jam Mænus præterit ossa suo.
Flos generis Mangolde tui: sed terra sepulchrum
Quælibet, una omnes grata recondet humus.
Et cineres idem, quod terras, æquora cœlum,
Conteget, ac dulce est, cum vocat hora, mori.
Vivere debueras eqidem, nisi fata negassent,
Stenuus, excellens, candidus, acer eras.
Si tamen exacta considero facta juventæ,
Nil potes hac vita de brevitate queri.
Jam virtute senex, factisq; illustribus ingens,
Vertice contigeras sidera celsa tuo.
Ingenuas, vernans exacta juventa, per artes,
Sequana qua tumido labitur amne, fuit,
Avernisq; Liger qua primum e rupibus ortus
Undoso latum gurgite pandit iter.

Hinc placidi mores atq; asperitate carentes,
Majus honorata nobilitate decus.
Nec deerat culta facilis tibi copia lingua,
Nec sine fœcundo pectore corpus eras.
Et suavi poteras dulcedine præditus oris,
Gallica nativo verba referre sono.
Mox tua per varios virtus exercita casus,
Per numeros sese sustulit aucta suos.
Testis erit regum qui pugnæ accincta duorum
Matrona dividuis castra diremit aquis.
Testis Scaldis erit, ripaq; binominis Istri,
Spiculaq; averso qui jacit Hunnus equo.
Vidit & in dubio belli certamine Mœnus,
Sanguinei cunctas Martis adire vices.
Aeratasq; acies, & equestres ducere turmas,
Spargereq; hostili pingve cruore solum.
Vidit idem Veraris, vidit quoq; Tubarus, & quæ
Irriguas Mœno Sala ministrat aquas.
Cum trepidos armis ageres ultricibus hostes
Alite per campos pulverulentus equo.
Quid tamen ista juvant? quid nomen, & utilis ætas
Profuit? & laudis tot monumenta tua?
Num minus in gelido, jam pulvis & umbra sepulcro
Maximus ingenio, nuper & ense, jaces?
Sic cecidit Pallas, domitor sic Lausus equorum,
Sic in Echionia Parthenopæus humo,
Sic jacet, in culto qui nitidissimus agro,
Vomere succisus prætereunte fuit.

Sic

Sic ego sæpe rosas, sic uda papavera vidi,
Candida sic primo lilia vere mori.
Invida mors, quare tantis virtutibus obstas?
Tot bona cur terris eripit una dies?
Infelix mortale genus, rationis egentes
Sæcula tot degunt per nemora alta feræ.
Unicus Assyriis qui vivit odoribus ales,
Exuviis iterum nascitur usq; suis.
Nos, rerum hæredes quos vult Deus esse suarum,
Tam fragili vitæ conditione sumus.
Damna novis reparant agrestes floribus herbæ,
Aspera cum pulso frigore cessit hyems.
Tunc iterum violæ, tunc germina mille colorum,
Quæ prius immitis læserat aura, virent.
At nobis dubii cum flos brevis occidit ævi,
Ad superos duro clausit Adamantæ via est.
Quod si fata negant animos inhumata reverti
Corpora, nequicquam vota precesq; valent:
Hæc Mangolde tamen solatia mortis habebis,
Inclita quod nequeant facta decusq; mori.
Nam tua Pierides, quod magnis sæpe negatum est
Regibus, æterna nomina laude vehunt.
Tu quoq;, si posses, jam non reviviscere velles,
Nec te, si posses, fata redire sinant.
Hæc rerum series immota, Deiq; voluntas,
Arbitrio fatum qui regit omne suo.
Viximus, & multos una transegimus annos,
Signa voluntatis mille futura tua.

Tempus ad hoc, primo (nam sæpe recordor) ab ævo
Vestra mihi patuit semper aperta domus.
Nunc tibi parta quies, nostros fortuna labores
Versat adhuc, variis insidiosa modis,
Concilia interea te fortunata piorum
Semper inexhausta luce serena tenent.
Forsitan & nostri memor in regionibus illis
Lætaris memores nominis esse tui.
Invida non omnes capiunt oblivia Manes,
Umbra soporiferas non bibit omnis aquas.
Nec generosa meo tua corde recedet imago,
Non mea Lethæus siriget ora liquor.
Acceptum quodcunq; potesi gratumq; sepultis
Accidere, exequiis contigit omne tuis.
Omnia persolvit pietas tibi fratris amici,
Marmor & incisis indicat ossa notis.
Ipse etiam, quem tu semper complexus, amabas,
Ultima quæ potui munera ferre, tuli.
Non thyma, non Violas, tepidi non veris honores,
Candida luteolis lilia mista rosis.
Sed quæ me viridi Musæ docuere juventa,
Carmina de patrui fontibus hausta tui.
Primus is e sacro doctas Helicone sorores
In patria duxit florida rura meæ.
Vivite felices animæ, longumq; valete.
Donec in æterna vita sit una domo.
Sit tibi terra levis Mangolde, rosq; sepulcrum
Floreat, & cineri grata parentet humus.

Hæc

Hæc tibi Vierides post ultima fata rependunt
Munera, perpetuum rursus auæ atq; vale.

IN NATALEM CHRISti Salvatoris nostri.

ELEGIA VI.

ANnua natalis venerunt tempora CHRISTI,
Plectra mihi sacra da Friderice lyræ.
Ore pio FRIDERICE fave, discedite curæ.
Hæc bona sunt nobis omnia nata die.
Quæ tu vera Dei soboles e virginis alvo,
Editus, o JESU, labe carentis, homo es.
Sparge sacram Titan meliori sidere lucem,
Puriùs & rutilo funde nitore jubar.
Nec liquidam nigræ contristent æthera nubes,
Ponat & hyberni frigoris aura minas.
Solenni resonet templum venerabile cantu,
Voce preces moveas supplices quisqvis ades.
Ipse canam dulces numeros: adhibere sacratis
Pierios aris fas q; piumq; modos.
Tu modo Christe meum pectus vocemq; guberna,
Vera Dei effigies progeniesq; Patris.
Pax erat, & totum sinito Marte per orbem,
Omnia tranquilla plena quietis erant.
Jura dabat Cæsar populis, & pendere census
Mandabat, vires nosset ut ipse suas.

Edita gens paret magni de semine Judæ,
Inter bissenas conspicienda tribus.
Ipse etiam veteris Josephus dulcia Bethles
Mœnia, Jesseis regibus ortus adit.
Jamq; gravis sequitur cœlesti pondere virgo
Casta, Dei virgo magna futura parens.
Transierant latum qua prospicientis in æquor
Plurimæ Carmeli vestit oliva nemus.
Qua jacet & liquidis quem Cison alluit undis,
Fœcundo gignens Balsamæ colle, Thabor.
Linquitur à lævâ, gemino qui surgit in astra,
Mons sacer antiqua religione, jugo.
Perq; suos vidit vestigia flectere oampos
Hierichus, rivis uda liquentis aquæ.
Ventum erat ad Solymas arces, ubi Jordanis illos
Peneades placido mitior amne tulit.
Illic parva quidem sed magnis debita fatis
Urbs oculis Bethle facta propinqua fuit.
Protinus ore pro natalia rura salutant,
Rura olim proavi qua tenuere senes.
Jamq; cadente die, Phœboq; sub æquore merso,
Carpere nox solitum fusca parabat iter.
Cessite Graminea, tanisq; palude refectis,
Pauperis agricolæ stabat operta casa.
Textus erat virgis paries, muscoq; virebant.
Tecta, viam Boreæ vimina rara dabant.
Liminis antrabant postes agrestis, in urbis
Mœnibus hospitii deficiente loco,

Ex-

Exigui, stipulæ fœniq; rigentis, acervi,
Et folia e ramis arida facta jacent.
Ignibus accensis illos, & paupere victu
Sedulitas miti rustica fovit ope.
Jamq; ferè medio peragebant humida cursu
In cœlicolo limite, signa vicem.
Summa casæ radiis fulgebant culmina Lunæ,
Jamq; soporiferæ tempora noctis erant.
Arboreæ frondes late, montesq; silebant,
Dum refovent dulci membra quiete feræ.
Spirabantq; leves nullo cum murmure venti,
Mutaq; virgultis tecta sedebat avis.
Languida Josephi mulcebat pectora somnus,
Sicut inops vili stramine fultus erat.
Virgo memor sensit prope tempus adesse beatum,
Quo pareret ventris numen onusq; sui.
Plena Dei subito flagranti pectora motu,
Sedibus e superis Spiritus intus agit.
Aethereoq; domus venerabilis igne reluxit,
Flammeus & claro fulsit ab axe nitor,
Concipit illa preces castas, simul ecce remotis
Nixibus, ecce sacrum molliter edit onus.
Qualiter humidulos post frigora tristia flores
Vere novo zephyris fœta remittit humus.
Signa dat omnipotens genitor, micat aurea Phœbe
Purius, & maculis non sinit esse locum.
Lætaq; diffundunt rutilantes sidera flammas,
Et vos Jordanis lenius itis aquæ.

Involuit tenui nudum velamine mater,
Sacra fovens placide membra tepente sinu.
Plenaq; mox rigido tulit in præsepia fœno:
Aspera læserunt stramina molle latus.
Cultor agri juxta bos, & stridentia carpens
Pabula, Josephi vector asellus, erant.
Protinus hirsutos, submisso poplite, vultus,
Oraq; divinum corpus adusq; ferunt.
Neve recens natus mala frigora sentiat infans,
Fumificis arcent flatibus acre gelu.
Excitus e somno Josephus, ut aspicit illum
Ante pedes, spacio stat q; silet q; brevi.
Ut tamen accessit, fuditq; precantia supplex
Verba, piis lacrymis immaduere genæ.
Ah quoties blandis complexum fovit in ulnis,
Et tremula tenuit brachia parva manu.
Ah quoties, album caput ad cunabula flectens
Oscula cœlesti carpsit ab ore senex.
Usq; solo jacuit, fatorum conscia, tales
Edidit, accepto nomine, lingua sonos.
Sancte puer, tandem votum promissa piorum,
Non dubiam factis exhibuere fidem.
Venisti sperata salus, mundiq; redemtor,
O populi votis sæpe petite tui.
At te, nec rutilis gemmis preciosa nec auro
Tinctave Getulo murice, tecta tegunt.
Nec Pario radiant adoperti marmore postes,
Tecta suo capiunt vix satis ampla gregi.

Stella

Stella tamen felix, portantes munera Reges,
Huc feret ad cunas, prævia duxq; tuas.
Et signabit iter, flammasq; per aera ducet,
Hujus egens cœlum sideris ante fuit.
Fallor an auroram, Nabathæaq; regna relinquunt,
Quæ vehit Eoo Phœbus ab orbe diem.
Pondera cum Myrrhis donabunt divitis auri,
Et quæ sole metit thura perustus Arabs.
Ecce quid infantes avellere matribus hostis
Pugnat? & armatas injicit ense manus?
Purpureo squallent perfusæ sanguine cunæ,
Nutricumq; madent cæde rubente sinus.
Ibimus, & Nili, genitrix, loca tuta petemus,
Has soboles latebras debet habere Dei.
Insidias donec componens ante, solutus
Barbarus horrenda morte Tyrannus erit.
Tunc iterum Pharii puer illic littoris exul,
Niliaco referes sospes ab orbe pedem.
Et jam divini peragis mandata Parentis,
Verba nec æthereis viribus orbæ doces.
Jamque fere cursu restant tibi fata peracto,
Ultima sanguineæ jam venit hora necis.
Parve quid ah vagis? tanquam tua vulnera noris
Dum reparas letho, quæ periere, tuo.
Ipse etiam solito privatus lumine Titan,
Purpureo tenebris tristibus abdet equos.
At tu Sancte tua captivos morte redemtos
Inferno solves carcere victor avos.

Eq; stygis nigræ tenebrosa sede resurges.
Tertia cum cœlum triverit axe dies
Mox patrium repetes, jam non mortalis Olympum,
Et dabis humanas pondus habere preces.
Sic facilis, magni bene Christe salutifer orbis
Hoc nomen stygiis auribus horror erit.
Sic ait, & fletus cecidere per ora secuti
Nec potuit lacrymans ulteriora loqui.
Admonito flebat genitrix quoq; tacta dolore,
Inq; sinu puerum dulce gerebat onus.
Et modo blanditias dicebat murmure leni,
Nunc tepidi grata lactis dabat ope.
Forte simul pecoris custodes montibus illis,
Servabant clausos nocte silente greges:
Cum juvenis supra caput illis astitit ales.
Et timor (horruerant) sit procul omnis, ait:
Aetherea missus Servator ab arce salutis
Vobis sub tecto paupere natus homo est.
Ite citi, agrestes violis aspergite cunas,
Ite, simul regi munera ferte novo.
Dixit, & in vacuo pendentes aere cœtus
Aetherei dulces concinuere modos.
Impleruntq; vagis discursibus æthera notum,
Gloria sit summo, vox erat una, Deo.
Plenaq; tranquilla tellus secura quietis,
Et colat humanum justq; piumq; genus.
Angelicis longe tenuis concentibus aer,
Ictaq; dulcisonis vocibus arva sonant.

Ter-

Terror abit, parent jussis, humiliq; jacentem
Inveniunt puerum cum genitrice casa.
Depromuntq; sinu munuscula dulcia parvi
Ruris, adorato supplice voce Deo.
Nec rutilo possunt saturari lumina vultu
Nec se, quin tangat, continet ipsa manus.
Sancte puer salve, tibi candida solvimus ora
Sancte velis populo dexter adesse tuo.
Christe puer, per quem praeclusaq; janua lethi,
Inq; domos superas rursus aperta via est.
Da veniam nostro sceleri, peccasse fatemur,
His miseris praesens auxiliumq; feras.
Pelle famem, morbosq; procul, da pectore casto
Vivere, quod superest temporis omne, tibi
Si quid & incauti commisimus, effice laesi
Ne memor hoc olim vindicet ira Dei.
Pax redeat, lenisq; quies, cessentque tumultus,
Martiq; & in nostro desinat orbe furor.
Semper ut hunc melio tibi sancte canamus ad annum
Pondere curarum non remorante, diem.

AD SPIRITUM SANCTUM PRAECATIO.

VT, nova cum Dominus fabricasset corpora mundi,
Illa Dei fovit spiritus igne suo,
Fœcundosq; dedit rebus nascentibus auctus
Cuncta sui reddens plena vigoris ope:

Sic

Sic miseris duro solatia tempore præstes,
Sic foveas cœtus, Spiritus alme, pios.
Te ponat querulos Ecclesia præside luctus,
Numine curarum mole soluta tuo.
Oppressæq; malis, fessæq; senilibus annis,
Afflatu recrea languida membra tuo.
Discute sollicitos terrores, suffice vires,
Corda sinas cæca noctis habere nihil.
Assit amans veri studium, probitasq;, fidesq;,
Aethereæ per quam sedis adimus iter.
Omnipotensq; tua firmet nos halitus aura,
Solamen cunctis, hoste furente, malis.
Erige tu pavidos, & opis celestis egentes,
Sicut avis plumis mollibus ova, tege.
Tu requies animi, tuus omnia temperat ardor,
Muneris est, quicquid spirat ubiq;, tui.
Tu moderaris opus triplicis mirabile mundi,
Aeternamq; doces cuncta tenere fidem.
Aeris & liquidos tractus, cœliq; meatus,
Quicquid & in toto nascitur orbe foves.
Vis tua præciputi magnum vertigine cœlum,
Non intermissis cursibus ire facit.
Tu regis obliquo contra surgentia nisu,
Omnia quæ certis legibus astra micant.
Quæq; suos peragunt clarissima lumina motus,
Te sine Sol fixis Lunaq; staret equis.
Vis tua felices viridanti gramine colles
Vestit, & innumeris floribus ornat humum.

Tu

Tu patulos mulces fœcundo flamine campos,
Ut gravidos onerent frugibus arva sinus.
Aspice sic miseros, sic consolare jacentes,
Rore salutifero, Spiritus alme, juva.
Pectora te flammis agitante beata calescant,
Sitq; Deus, soli cui placuisse velim.
Nec sacro avertant nos jussa minantia verbo,
Auxilio cedat mors quoq; victa tuo.
Ut, fragiles summa cum luce reliquerit artus,
Vivat in æternæ spiritus arce domus.

P. LOTICHII SECUNDI CARMINUM.

Liber Primus.

AD MAGNIFICUM ET ILLUSTREM VIRUM Danielem Stibarum Eq. Fr.

HUnc dono tibi carminum meorum
Non dico lepidum, novum libellum,
Mecænas venerande, sed pudicum.
Curas inter & anxios labores,
Et sortis querimonias amara;
Annis viximus (heu) tumultuosis.
His in fluctibus, impetuq; rerum,
Ecquis molle quid exararet, ecquis
Versus conderet elegantiores?
At nunc munere cum tuo revisam
Jucundos Aganippidum recessus,
O prædulce meum decus, Stibare,
Blanda, si mihi Dii favent, in umbra
Puris, & nitidissimis, nec ætas
Quos ventura redarguat, libellis,
Laudes omne tuas feram per ævum.

DE PHILOMELA.

DUm sedet, ac dulces iterat Philomela querelas,
Pendula qua viveas arbor opacat aquas:
Altis effigiem subjectis spectat in undis,
Blandaq; vicinis vox redit icta jugis.

Iliaq;

Illaq; dum queritur, simul ipsa videtur imago
Æmula sub ramo dulce virente queri.
Tum stupet, & vere volucrem putat esse, quod umbra est,
Et sibi divini carminis esse parem:
Perstat, & invidia mœrens tabescit inani,
Certa nisi vincat, victa dolore mori.
Omnia depromit discrimina gutturis, omnes
Elicit, innumeris flexibus usa, modos.
Postremo multas frustra dum certat in horas,
Seq; repercusso decipit ipsa sono:
Unguibus & rostro simulacrum invadit & alis
Inq; necaturas inscia fertur aqvas.
Vidit, & exanimem vicino cespite texit
Triste genus lethi commiseratus, Acon.
Addidit & titulum: Falsus quam perdidit error,
Daulias hic viridi conditur ales humo.
Infelix fatum, qua laudis tanta cupido est?
Fallor, an & miseras nos imitamur aves?

AD JOANNEM HAGIUM.

HAgi prime sodalium meorum,
Qui cum nos aleret novem Dearum
Dulci Banus in otio, solebas
Mecum ducere sæpe non inertem
Fultus cespite florido, quietem
Qua Fagi, Coryliq; Populiq;

Et densæ Salices utraq; ripa
Frondosis fluvium comis obumbrant.
Quid, dum bella tument nefanda, rerum
In martis geris urbe? me nivali
Longo tempore detinet sub Arcto
Fati sæva necessitas acerbi.
Hic tabesco, gravissimis peresus
Curis (heu) sine te, miserq; vivo,
Inter tela, licentiamq; ferri.
Divisus procul a meis libellis,
Et nunc vel situs hos araneesus
Fœdat, delitias meas: vel igni
Hostis tradidit: hoc fleam necesse est,
Hagi prime sodalium meorum.

AD TUMULUM L. MAterni militis fortissimi.

HAec Materne tibi gelida monumenta sub Arcto,
Albidos ad liquidas pono Secundus aquas.
Effusum patriæ pro libertate cruorem
Indicat incisis Populus icta notis.
Non lacrymis hoc funus eget: solatia forsan
Talia plebeis manibus esse solent.
Te magni super astra Duces, validæq; cohortes,
Pulsaq; solenni classica more vehunt.
Mille viæ casus tecum, belliq; labores.
Frigus, & excubias, pauperiemq; tuli.

Præ-

Præceptisq; tuis fateor debere, quod ætas
Prima rudimentis est in honore suis.
Hoc igitur munus, magnis quod sæpe negatum
Regibus, a socio milite miles habe.

AD MELCHIOREM Zobellum Compatrem.

DUm te Parrhasie sub axe Mavors
Castris detinet in tumultuosis,
Incundissime Melchior Zobelle:
Nos hic unanimes tui sodales,
Altus, Varus, Aconitus, Secundus,
Ad sedes patrias sumus reversi.
Et nunc inter amabiles amicos
Narrantes varios periculorum
Casus, bella, fugas, Ducum labores,
Exhausti reminiscimur laboris:
Et te sæpe Zobelle nominamus,
Et votis celerem tibi precamur
Aeri a militia vacationem.
Vivas molliter axe sub nivali,
Vivas dimidium mei, nec olim
Obliviscere, mi Zobelle, Musas.
Crescunt in reditum tuum virentes
Et Lauri, & Veneri dicata Myrthus.

De-

DE MURO IN SEQVANIS COLlapso, cum inscriptione victoriarum Cæsaris.

Qva veteris surgunt nova propugnacula Dolæ,
Ad Dubii liqvidas prætereuntis aqvas:
Murus erat spectans Ararim, septemq; Triones,
Turribus & fossis cinctus utrinq; suis.
Jusserat hic tumidus gentis præfectq; Iberæ,
Grandibus insculpi Cæsaris acta notis.
Ticinum, victumq; Arnum, domitosq; Sicambros,
Et Lybicum vectas per mare mille rates.
Addiderat captosq; Duces, nuperq; potentis
Albis Aragonia cornua fracta manu.
Jamq; æterna gerens nostri monumenta pudoris,
More trophæorũ nobile stabat opus.
Ecce (qvis hoc credat?) uno momento temporis
Omnia ceu trifido fulmine qvassa ruunt.
Cætera murorũ pars inconcussa remansit:
I nunc ultores dic nihil esse Deos.
Vincere (confiteor) pulcrum est: illudere victis.
Non decet: incertus sis memor esse vices.

IN

IN MALUM POETAM.

SAlax Poeta (penè nomen addidi)
Nugator efferatè, seculi pudor,
Adhucne dentes exeris famelicos!
Et plena febris atq; pestilentia
Vates siticulose ructas carmina?
Me, me lacessè, me pete, ut remordeam;
Casti pater diserte contubernii.
An nomen addam? nolo ne superbias.
Clamabo tantum (pace quod sit tua)
O carminum venusta liberalitas.

AD JOANNEM ALTUM POETAM SVAVISSIMUM.

SAepe meæ nomen simul inter vina puellæ
More jubes prisci temporis, Alte bibam.
Tu Violantillam potas, mihi Claudia septem
Dat scyathos, & jam frigida fugit hyems.
Quid faciam sicci cum terga Leonis adibit
Phœbus & ingratus faucibus æstus erit?
Ergo meæ propter nomen breve cogar amicæ
Ferre sitim? tanti nulla puella mihi est.
Non tamen hanc Dominam mutabo, sitimq; levabo
Quid facies igitur, quæris? Amabo duas.

AD CLUSIUM, DE HELIOTROPIO, Hyacyntho, & Lauro.

ASpice, dum riguo Clusi spaciamur in horto,
Ut Clytie Phœbi servet euntis iter.

Cre-

Credibile est illam, quamvis radicibus hæret,
Nunc quoq; dilecti Solis amore trahi.
Hanc prope suave rubes Hyacinthe, sed invida Daphne
Integit oppositis germen utrumq; comis.
Pallida languescit Clytie, ponitq; decorem,
Langnet & Oebalius fletq; gemitq; puer.
Sensus inest igitur plantis, gaudentq; dolentq;
Certaq; natura dant documenta sua.
Quisquis es, hos noli flore temerare, viator:
Nunc quoq; quos olim Phœbus amavit, amat.

AD J. FABRICIUM MONTANUM.

Montane, Aonidum comes sororum,
Hos sex continuos mihi per annos,
Dum Mars turbat Hyantias puellas,
Nunquam vise, sed omnibus diebus
Pars desiderii mei sub Arcto,
Ecquid vivis adhuc, valesq; ? nam te
Noster vivere nunciavit Alius.
O factum bene. O vetus sodalis,
Quo non suavior est, erit, fuitve.
Dic, quidnam tot agunt pares amici ?
Blandi Carolus arbiter leporis,
Et tu mi Gvilielme, tuq; Funci,
Iucundi, unanimes, & eruditi ?
Illam spes utinam novum reducat.

Qua

Quæ vos alloquar, audiamq; lucem.
Heu quot casibus, & quibus procellis
Jactatum accipies tuum Secundum?
Tunc fontis liquidas sedens ad undas,
Ut mos esse tuus solebat olim,
Argutos mihi carminum libellos
Sub Fago recitabis, aut sub ulmo.
Nunc Alpes nivibus jacent amictæ,
Quando Phyllirii senis per astrum
Declives agit imbrifer jugales,
Hyberno properans ab axe Phœbus.

AD CLAUDIAM.

CLAUDIA virginei flos illibate pudoris,
Quæ superas vernis lilia mista rosis.
Quam conferre bonis tibi casti pectoris ausim
Quamve parem formæ dotibus esse putem?
Si fortuna minus mea lamentabilis esset,
Secula si dulci pace quieta forent.
Te quoque laudatas inter, me Vate, puellas
Tolleret ex humili fama perennis humo.
Lesbia non majus, nec Delia nomen haberet,
Hæreret capiti prima corona tuo.
Annue Diva Venus, da longum ferre per ævum
Tot bona, da facta pace redire domum.
Ipse tibi galeam suspendam gratus & hastam,
Lucidus irrigua quà strepit Acis aqua.

Et

Et breve carmen erit: Vates Cytherea Secundus
Hæc tibi militiæ dedicat arma suæ.

INFERIÆ AD GEORgii Lotichii fratris tumulum.

TAndem post varios belliq; viæq; labores
Contigit ad cineres frater adesse tuos.
Frater amabilior dulcis mihi lumine vitæ,
Ætheris, heu, pulcra quam cito luce cares.
Quatuor addideras septem natalibus annos,
Jamq; lyræ cordi, jam tibi carmen erat.
Tempore quo tecum spem nostram fata tulerunt,
Et lacrymis patrias Cynthius auxit aquas.
Non reditu potuere tuo gaudere parentes,
Ingenii nullum divitis extat opus,
Ab miserande puer, peregrina condite terra,
Dimidium tecum mors tulit atra mei.
Gloria Musarum tu summa futurus, & olim
Dulce decus nostrum, si licuisset, eras.
Salve care cinis, frater carissime quondam,
Nunc cinis, æternum rursus ave, atq; vale.

AD ACIN FONTEM.

ACi decus nemorum, viridi circumdate musco,
Unde ferunt atavos sæpe bibisse meos.
Tu mihi secessus Heliconis, & otia præstas,
Aoniasque tuo fonte recludis aquas
Tu placido molles invitas murmure somnos,
Nec levat arentem purior unda sitim.
Non pecudes rivum turbant, limusve, sed imum
Splendidior vitro lucet aduseq; solum.

Elu-

Flumineos latices hic libat, & abdita ramis (*avis.*
Multa nemus querulis cantibus implet
Hei mihi, quod juvenis tellure altrice relicta
His careo sylvis, his ego semper aqvis.
Dulce sed exhausti qvondam meminisse laboris,
Estq́; pererrato gratior orbe qvies. (*Aci:*
Ergo vale rursus, nostri memor, herbifer
Hoc tibi discedens opto, perennis eas.

AD NYMPHAS.

FOntibus Nymphæ genus unde sacrum,
Qvæ salutares colitis recessus,
Et scatens rivis nemus, & calentes
Sulphure lymphas.
Ecce sexcentas voveo coronas
Pro mei vobis reditu Stibari,
Ut suos vestris repetat penates
Sospes ab undis.
Grande qvi rerum columen mearum,
Hic odoratas citharaper herbas
Dulce me curis jubet expeditum
Fingere carmen.
Ipse, qva densas strepit inter Alnos

Hæc oda paulo aliter citatur in Apidii Periandri Horto Amorum secunde p. 93

Cyn-

Cynthius, molli residens in umbra
Vota persoluam, cumulans sacratas
Floribus aras
Nunc maris rorem sat, Amaxacumq;
Et comas Thymbræ dare, post & udas
Offeram Myrthos, & Apollinaris
Germina Lauri.

AD GEORGIUM FABRICIUM.

ARguta fidicen lyra CEORGI,
Dic nobis age, cur tuos libellos,
Illos candidulos, & expolitos
Perfectum tibi vicies ad unguem,
Inclusos retines domi? nec ire
Doctorum sinis ora per virorum?
Jam sat (nam modus esse debet) illos
Aerumnosa coercuit litura.
Jam flores lepidos sat addidisti,
Jam permitte licentius vagari.
Non ævo tibi degener futuro
Livor dentibus invidis nocebit,
Multis nec lyricis minor per orbem
Junctus vatibus ibis, & legeris.
Salvete o lepidissimi libelli,
Dulces in quibus abluere Musæ,
Et blandas Charites manus & Horæ.
Quam vos terq; quaterq; suaviabor?

JESU

JESU CHRISTO DEO OPT. Max. Sacrum.

HAs lacrymas, hæc Christe tibi suspiria Vates
Dedicat, hos oculos, seque animamq; suam
Tu, precor, audacis dele commissa iuventæ,
Tu liquido sordes ablue rore meas.
Respice nos, fragiles cum deseret halitus artus,
Summaq; cum terris fulserit illa dies.
Cum Tuba perdensas sonitum dabit horrida nubes,
Hocq; triplex mundi flamma resolvet opus.
Quicquid erit, breve erit: nec enim dulcissime, longe
Auguror adventus tempus abesse tui.
Interea tibi mane novo, tibi vespere sero,
Grata tibi media carmina nocte canam.
Atq; utinam plures oculos natura dedisset,
Ipse vel in lymphas totus abire queam.
Scilicet ut mœrens lacrymarum fonte perenni,
Vulnera tabifica cuspide facta lavem.
Hospitium tu Christe humilis ne despice cordis.
Dulce tibi soli vivere, dulce mori.

AD RUDELIUM, ET DRACONEM.

RUdeli, & Drace, candidi sodales,
Salsas Tethyos ad frementis undas.
Lugete o simul & pari dolore,

Ubertim lacrymæ per ora manent
Stillatimq; fluant, & hinc & illinc:
Lympergus superas reliquit auras,
Lympergus jacet, heu: proculq; Mœnus
In ripa tumulum videt recentem
Nos longis regionibus remoti,
Udas nec lacrymis damus coronas,
Nec (si qua est ea manibus voluptas)
Quem saltem properans legat viator,
Signamus titulo brevi sepulchrum.
At tu, cui citharæ potens canoræ
Dulci Musa dedit placere versu,
Raptum funere tam bonum sodalem,
Fatis eripe mi Draco: nec olim
Lympergum premat invidis tenebris
Ætatis taciturnitas futuræ.
Sed candor niveus, gravisq; Virtus
Longis carmine consecrata seclis
Notescant magis, arduisq; famæ
Semper lætius evehantur alis.
Hoc est ære perennius sepulchrum.

Ad GEORGIUM CRACOVIUM, & M. Lucanum.

LUcane optime, tuq; mi Georgi,
Qui versus canitis venustiores
Et Graiæ pede vocis, & Latinæ,

Istos,

Istos, si libet, urbis inquietæ
Linquamus strepitus, & ut solemus
Jucundis spatiemur in viretis,
Restagnantis ad Albidos fluentum.
Lassi nunc etenim juvantur artus
Cœli temperie serenioris,
Et leni simul ambulatione:
Dum blandæ nemoralibus sub umbris
Mulcent aëra cantibus volucres:
Et gratis parit irrigata rivis
Flores gramine discolore tellus.
O dulcissima solitudo ruris,
O sylvæ virides, avete Nymphæ,
Et fontes, & agelluli salubres.
Vos ignobilis otii voluptas,
Et nostri requies laboris estis.
It secura dies, soporq; mollem
Totis noctibus irrigat quietem.
O vere ter & amplius benigno
Ortus sidere, qui sibi ipse notus
Sic degit placidè videtq; tecto
Fumum, dum salit ater ex avito.
Hoc vitæ genus est beatioris,
Lucane optime, tuq; mi Georgi.

PRO WOLFGANGO NEUSTEter, Cognomento Sturmer, Eq. Franc.

DA violas hospes, jacet hac Sturmerus in urna,
Qui puer immiti cæsus ab hoste fuit.
Aspera collatis dum tentat prælia signis
Marchio, prolapso concidit ictus equo.
Sic ego sæpe rosas, sic uda papavera vidi,
Candida sic primo lilia vere mori.
Ille quidem patrii quondam cognominis hæres
Acer & invicto Marte futurus erat.
Atropos invidit: Generis nec profuit ingens
Gloria, principibus nec placuisse viris.
Hoc satis: Hospes abi, nec vivere differ in horas:
Eximium Lachesis nil sinit esse diu.

SUPPLICATIO AD JESUM Christum Deum Opt. max.

JEsu Redemtor, ac protector omnium,
Idemq; lux mortalium,
Te (nam quid ultra est?) noxiis heu plurimis
Contaminatus invoco.
Jam, jam dolor, quod egi, jam, jam pænitet
Errata jam nosco mea
Ut fervida vi Solis usta languidas
Ponit comas Amaracus
Sic mœror ossa devoravit intima,
Totiesque Christe, langveo.
Penitusque contabescerem, nisi tuæ

Con-

Confiderem clementiæ.
Miferere fons falutis, & dulci meum
Cor irriga folatio.
Animumq; fævis libera terroribus,
Tuoq; reple fpiritu.
Te luce prima, nocte te fera canam,
Lyraq; gratias agam,
Qva natus ille ex Ifaci nepotibus
Vates tuam potentiam,
Victorias cecinit tuas, & innuba
Te nafciturum virgine.
O fauciæ fpes una confcientiæ
Cruore me lava tuo.

AD PUERUM SUUM, IN DIE natali P. Virgilii Maronis.

TErnas, i puer, ocyus coronas
Nectas ex Apio, marifue rore.
Aut Thymbra gracili: nec eft pudori
Noftris populus, aut falix capillis,
Qvas ripis Arar educat propinqvis,
Nam Myrtho nec adhuc ego, nec aufim
Phœbea caput impedire Lauro.
Sambuco quoq; dic, & Appiano,
Hucad me veniant, facras agemus
Et vino & fidibus Maronis Idus.

Junctis adsit Oloribus Dione,
Assint ritè vocantibus Camœnæ.
O me si qua recessibus Dearum
Illis inferat, herbidosq; monstret
Colles, qua tenui canens avena
Te formosa Amarylli, teq; Philli,
Albis Philli decentior liguſtris,
Intonsas docuit sonare sylvas.
O si se mihi præbeat, sed olim,
Argutis imitabilem cicutis
Intactum Corydon amans Alexim.
Quando limpide te videbo Minci,
Qui natale rigas solum Maronis,
Ripas præteriens arundinosas?
Sed cesso. Puer i, frequentiores,
Appone, & scyathos capaciores,
Cras rorantia rursus & minuta
Imple pocula: sic diem quotannis
Hanc ducam, mihi penè cariorem
Natali proprio: valete curæ
Vitæ pernicies, adeste Musæ
Et lauri, citharæq;, fistulæq;.
Laus & gloria sempiterna Vatum est.

AD GREGORIUM SCHEtum Medicum.

VIxi diu curis solutus omnibus,
Vixi secundum vota, pace, literis,
Amore abundans, gratia, sodalibus:
Nunc (heu graves rerũ vicissitudines

Ta-

Tabesco solus, ut misella Amaracus
Vesanientis æstibus caniculæ
Arescit. O decus meum, peregimus
Vix lustra quinq;, jamq; delectatio
Omnis, joci, facetiæ, cupidines,
Studiumq; consenescit à radicibus.
Tam mane nunqvam surgo, nec tam vesperi
Carum reviso lectulum, quin maxima
Vi lacrymarũ diffluam, discriminum
Memor ruentis patriæ, heu calamitas
Abominatæ servitutis, heu furor,
Heu læva mens, heu civium discordiæ
Invidit alma scilicet felicitas,
Ne dulce littus Adriaci maris,
Per saxa vectus æqvoris Ligustici,
Tecum viderem, limpidive Tybridis,
Padive ripis ambulans, ignobili
Mederer istis ocio molestiis, (pulo
Ubi nunc bicolore tu jacens sub po-
Horas beatas ducis immemor mei.
Nos murmurãtis ad caput Druëntiæ,
Vitam trahemus in tenebris exules,
Donec (qvod est novissimũ) refulserit
Desiderata cœlitum benignitas.

EPITAPHIUM D. ADOLPHI à Glauburg, Jureconsulti Francofurd.

ASta parum viator, & pios jube
Salvere manes, hic Adolphus est situs
Qui stirpe gentis editus Glauburgiæ
Majoribus clarissimis, dum viveret
Domi forisq; notus, ob reconditam
Rerum optimarum floruit scientiam.
Cursus perennes siderum micantium,
Moresq; naturæ intimos cognoverat,
Aeternitati consecrans quam plurima
Qvæ cum probasset omnis ætas postera
Idem impiger terra, mariq; gentium
Mores & urbes exterarum viderat,
Dignumq; sese gesserat Republica.
Sed nil opes, nil dignitas, nil litteræ,
Nil flos juventæ, nil Apollo profuit.
Vix lustra sex peregerat, qvando occidens
(Heu spes inanes) ultimam vidit diem.
Scio, misertum est. I viator, & sacro
Levem precare pulveri terram, & vale.

AD RENATUM HENERUM.

SI mecum leviter meridiari
Sub Myrtho libet, aviaq; Lotho,

Mi

Mi Renate, parum deambulatum
Rus ad me venias, ut ociosis
Disertos recitet puer libellos
Bembi, Flaminii, Actii, Augurelli,
Vel quodcunq; bonum simillimumq; est.
Nam quasdam volo collocutiones
Tecum texere, donec æstuosus
Franget se calor, hinc sedens in herbis,
Dulci vina refrigerabis unda,
Qua citros rigat, alluitq; Lauros,
Nostris lympha scaturiens in hortis,
O jucunda beatitudo vitæ,
Libros inter, & optimos amicos,
Quos jungit bona comitas, & una
Delectatio rebus ex eisdem,
Et Musæ, Veneresq; transmarinæ.
Gaude villula, qvam tuum libenter
Inviso nemus? Ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

P. LOTICHII SECUNDI CARMINUM.

Liber Secundus.

AD JULIUM MICYLLUM.

VEnit læta dies, castæ qua matris ab alvo
Christus, sub forma paupere, natus homo est.
Scilicet ut veteris solvens contagia noxæ,
Justiciæ certas traderet ipse vias.
Et mortale genus revocans è faucibus Orci,
Deleret meritis crimina nostra suis.
Hanc Juli celebrare pio te carmine lucem
Convenit, & sacra digna referre lyra.
Non hæc Pierides dictant, non fautor Apollo,
Non hæc Castaliæ suggerit humor aquæ.
Sed pater omnipotens, & lucida Patris imago
Natus, & amborum gratia, dulcis amor.
Dulcis Amor, Divûmq; potens, hominumq; voluptas,
Qui regit afflatu pectora casta suo.
At tu sancte puer, qui nos à morte redemtos,
Hæredes regni deligis ipse tui:
Tu, precor Emmanuel nos dignos effice, quorum
Pectora sint verbo semper aperta tuo.
Da superare graves vitæq; obitusq; labores,
Gutta tui nobis sanguinis una sat est.
Per te, *Christe*, salus nobis est reddita, per te
Tartara victrici sunt spoliata manu.
Hæc facunde pio tu carmine concine Juli,
Et pura sanctas concipe mente preces.
Nec dubitare decet, voces gemitusq; precantum
Fert supra nubes, & super astra fides.

In

IN EFFIGIEM MILITUM Germanorum.

PUdor Deorum, opprobriumq; seculi,
Pestis, luesq; militaris ordinis,
Qui perciti furore mentis ebriæ,
Licentiaq; perditorum temporum,
Abominandis involuti vestibus,
Fas omne rumpunt, eruunt Rempublicam.
Hei dira imago, hei barbarum spectaculum.

IN DAPHNIM ECLOGAM Adami Gelphii.

CUm nuper altas ætheris scandens domos
Præstans canendi gloria,
Terras, Micyllus, has senex relinqueret,
Vocante rege Celitum,
Nicer misellus vallium sub intimis
Reconditus cubilibus
Lugebat, & reflagitans Vatem suum
Mœsto fluebat alveo:
Flevêre fontes limpidi, sub herbidis
Scaturientes montibus,
Et antra sacri destituta carminis
Amabili solatio.
Ubi remotus urbis à frequentia
Ter optimum, ter Maximum

Deum caneba& vagos micantium
Cursus vicesq; siderum.
Sed nunc qvid hoc Nicer? quid accidit novi?
Quid est ocelle fluminum?
Unde hæc repente(vos referteNajades)
Doloris intermissio?
Inusitatis undiqvaq; personant
Montes, ut ante, cantibus,
Amnemq; dulci carminis mulcet sono
Novus Poëtarum chorus.
Sic est. sepulti ex ossibus regerminant
Tot surculi lectissimi.
Qui nunc sub umbris arborum comantium
Molli fruuntur otio.
Daphnimq; Divis addit immortalibus
Conviva Phœbi Gelphius.
Daphnim loquetur omnis ætas postera:
O Daphni sidus aureum,
Quanta per auras influit dulcedine,
Animumq; Musa surripit?
Nicer beate, nunc virente pampino
Præcincta tolle cornua
Meumq; Gelphium, & cohortem æqvalium
Viridi corona Laurea.
Albim tamen ne provoces, nec Bregelam,
Viadrumve, nec flavam Salam.

AD LAUROS IN HORTIS suburbanis.

LAuri, quæ rapidos arcetis vallibus æstus,
Tuq; susurranti fons nemoralis aqua:
Vos lauri salvete mihi, salve optima rerum
Avia frondosis lympha sub arboribus.
Hic ego, dum licuit, curas lenire solebam,
Qua strepit è gelidis unda voluta jugis.
Hic meus argutas cecinit Venator ad auras,
Dum fleret mœstis Sarmidem arundinibus.
O sopor, ô blandæ volucres, ô gramen, & herba,
Quam fuit hic animo vivere dulce meo?
Nunc me dilectis avellere cogor ab hortis,
Nec mihi sæva dabunt fata referre pedem.
Este mei memores lauri, vosq; antra valete,
Et fons, & Musis vallis amata vale.

IN NATALEM SALVATORIS, ad Martinum Stibarum.

QVo te carmine, qua Lyra,
Natali procul à solo
Rex sanctissime Celitum
Festo tempore concinam
Mundi CHRISTE Redemtor?
Ergo hunc, alme puer, diem

Sic ducemus in ultimi
Solitudine littoris
Quo tu natus es, induens
Humanos Deus artus?
Quod possum tamen, & fretum
Et Sol æthera metiens,
Surgens audiet, & cadens,
Nos plausus dare, nos tuæ
Matris dicere partum.
Martine incipe, nam Dei
Hæc ætatula filio
Est gratissima, flos tener
Flos ortus tener est, cane,
E propagine Jesse.
O dulcissima Veritas,
Tu nos aspice, tu reple
Dulci pectora gaudio:
Et lucrum, & lacrymabiles
Cum fame opprime morbos.

AD GREGORIUM SCHETUM Medicum.

DUm nos omnibus exules in oris
Fidi erramus amiculi, nec ullo
Sub cœlo reqviescimus, molesta
(Eheu) Schete, senectꝰ appropinquat:
Et languescit, ut icta sole Myrthus,
Blandæ flosculus elegans iuventæ:

Vi-

Vivamus ſemel, ociumq; ruris
Guſtemus: patula ſedens in umbra
Mecum tegmine ſub virentis ulmi
Cœli carpe ſalubrioris hauſtus.
Mox armis fera bella luctuoſis
Hinc vos Lauriferis agent ab hortis
Trans pigras maris ultimi paludes.
Iſtas nunc cithara, & joco, atq; vino,
Curas elve: ſic laborioſum
Alterna vice temperemus ævum,
Dum longam properet dies qvietem.

DE JOANNE FRANCISCO Ripenſi.

LAure Palatini quæ conſita Principis horto,
Ad Nicri liquidas innuba ſurgis aquas.
Creſce precor, non tu rigido violabere ferro,
Non in fumoſos ibis aduſta focos.
Aonio cinges juvenilia tempora Vati
Æternum ſervans fronde virente decus.
Hunc meus ingenio meruit Franciſcus honorem,
Nobilius per quem Dania nomen habet.

AD JULIUM MICYLLUM Jacobi Filium.

En

EN pulcer tenebras fugans
Sol lucem vehit annuam,
Qua virgo peperit Deum,
Prægnans Flamine sancto
Juli sume patris lyram,
Et JESU puero puer
Intactæq; puerperæ
Dulces incipe cantus.
Nobis paupere sub casa
Æterni soboles Patris
CHRISTUS virginis innubæ
Casta prodit ab alvo.
Expers labis enim parens
Verbo fit gravis igneo,
Quam cœlestibus integram
Afflat Spiritus auris.
Agnoscit pecus, & gregis
Custodes Dominum, quibus
CHRISTUM nuncia angelus
Ad præsepe jacentem.
En Jesseïus enitet
Lato gramine floscul[illegible]
Matutina velut micat
Cœlo stella sereno.
Halans qualis Amaracus,
Dulcis quam liquor irrigat
Cultos mane per hortulos
Auras mulcet odore.

O quæ

O quæ prævia Regibus
Fulſit dona ferentibus
Felix ſtella : ubi par ei
Aut jucundior ignis ?
Te nunc, Emmanuel precor,
Te ſplendor rogo gloriæ,
Qui de lumine lumen es
Summi patris imago.
Sis placabilis & bonus
Nobis luce noviſſima :
Æternus ſit honor tibi
Trinum numen & unum.

AD CHRISTIANUM LOTIchium Fra.

DA frater mi Chriſtiane plectrum,
Templis da citharam ſacris amicam :
Lux ſolennis agatur hæc quotannis,
Qua firmans Deus, erigensq; ſancto
Olim pectora ſpiritu ſuorum
Auris omnipotentibus ſuperne
Afflavit : precibus, piisq; votis
Hanc lucem celebremus. O ſuperni
Patris fervida, ſiliiq; flamma,
Fac nos, cuncta movens vigor, nefandi
Puros criminis, integrosq; vitæ,
Blando corda revinciens amore.

Du

Da ſolatiolum, tuiq; curis
Dulci numinis expèditus hauſtu
Sanctis totus ab ignibus liqueſcam.
O fax certa precumq; gratiæq;,
Conſtans pax animi, quiesq; rerum,
Dum nos lubrica fluctibus tot ætas
Incertos agit, & graves procellæ,
Tu caſtæ arbiter inſtitutionis
Flammis pectora tempera pudicis.

AD LEONHARDUM Munſterum.

SOllicitas habili citharæ dum pollice fila,
Succinis & tenui murmure, vive tibi:
Et vitare mones præluſtria: chordaq; dulces
Pulſa dat, & chordas vox imitata, ſonos.
Ducere cum Muſis videor Munſtere choreas:
Quoq; ſedes Helicon eſt locus ille mihi.
Quis Deus afflatum rapit hoc ſuper æthera pectoq?
Monſtrat & affectus poſſe docere lyra?
Non ita populeis mœret Philomela ſub umbris,
Huic ſimilis quamvis nulla ſit inter aves.
Ad vada nec tali dulcedine pura Caïſtri
Carmen Olor moriens exequiale canit.
Sic celebrans epulas citharam cum voce movebat
Demodocus, lacrymas eliciente ſono.
Carmina pectoribus, mulcendis auribus apta

Eſt

Est lyra, me chordis vox sociata juvat.
Utraq; cum præstes, quid dulcis amice rependam?
Hoc precor, ut vivas tempus in omne tibi.

AD GEORGIUM SABINUM Brandenburgensem.

IMmortale decus, *Sabine*, Vatum,
Qui nunc ad vada Bregelæ vetustos
Doctis artibus imbuis Borussos:
An feliciter es domum reversus?
Hinc cum sarcinulis tuis venustis,
Musarum simul atq; liberorum,
Ut spero, auspicio bono profectus?
Ad flavum tuus Oderam Secundus
Jucundæ memor allocutionis
Sinceræq; benignitatis: optat
Nunc & Pegaseos sibi volatus
Et desiderat omnibus diebus
Dilectos iterum videre vultus.
Sed nunc aëra fortè pestilentem
Vitans, grex subitò novem sororum
Tecum præcipiti fuga recessit,
Urbes Bregela quas duas ab una
Pulcro separat alveo, facitq;
Cursus inter utranq; flexuosus.
Hic (nam tristia multa nunciantur)
Hei, quantum mihi fecit audienti

Imis

Juris rumor in ossibus dolorem.
At quocunq; sub axe vivis, oro
Sis nostri memor, anxiosq; luctus
Dulci progenie, tuisq; leni,
Curas diminuentibus libellis,
Dum soles redeant sereniores.

IN FERIÆ AD TUMULUM Materni Steindorffer in urbe Hieræ.

HOc tumulo Materne jaces, hic corporis artus,
Hic tua post obitus contegit ossa lapis.
Has lacrymas gratæ pro consuetudinis usu,
Hæc cape, de lacrymis serta rigata meis.
Suavior hic nullus mihi vixit: in ocia Phœbi,
In sacra Piëridum mollia natus eras.
Cognita quid memorem duri certamina Martis?
Hei mihi, quod nullas mors timet atra manus.
Hic igitur Materne jaces? hei fertile pectus,
Ingeniumq; sagax, & sine labe fides.
Spiritus æthereas colit, unde recesserat, arces,
Jamq; odio, cæci quicquid amamus, habet.
Ossa cubent tumulo feliciter, ultima donec
Nos iterum jungat, quod precor, hora duos.

M. ROSA AD FLORES Melissæ.

Sol

SOl lucis autor occidit, fugit dies,
Sol fundit alter aureum mihi jubar,
Meliſſa dum liquoribus roſarium
Irrorat, Heſpero micante pulchrior,
Meliſſa ſaucians mihi cor intimum.
Hæc cum ſororibus ſub hoc crepuſculum
Flores calore languidos aquis rigat,
Et limpido imbre tingit. O ter, & quater
Beata Amarace, ò beata Lilia,
Vos illa mulcet aridam levans ſitim.
Vos roris has refrigerantis undulas,
Meum ſed ebibit puella ſanguinem,
O ſi liceret, ipſe lacrymis meis,
Vos irrigarem: vos decus reſumitis
Vobis honor redit, ſed ipſe langueo,
Et ſicut herbulæ liquoris inſciæ
Areſco ſemimortuus: tamen foret
Nec mors acerba, ſi Meliſſa paululum
Dulci meum cor irrigaret oſculo,
Incendium levans. Sed hei, quid (hei) querar?
Sol, dum loquor, repente noſter occidit,
Jam lux recedit, ingruitq; nox gravis.
Vale Meliſſa, cordis unicum mei
Levamen: ò Roſæ, ô valete lilia.

AD MATTHIAM STOIUM REgiomontanum.

Rumor

RUmor ait, Stoï, tenera me Lotide captum,
Sed negat indicio Claudia nostra fidem.
Deq; mea narrat probitate, rogataq; causam,
Ex animo, dicit, colligo fida meo.
Rarus amor certê: sed dic quid, amice, rependam?
Sit precium fidei non dubitata fides.

IN DEFECTUM LUNÆ.

SUnt aliquid cladis prænuncia signa futuræ.
Exitus assiduis comprobat illa malis.
Nec frustra monuêre graves instare tumultus
Eventu toties sidera nacta fidem.
Nunc quoq;, quod patriæ faustum sit, & utile cœ-
Indicat ambiguos non procul esse metus. (lum
Dic Dea, quæ certis labentia motibus astra
Aspicis, & causam nominis inde trahis:
Quid vult mœsta sibi tenebris soror addita Phœbi,
Dum premit in cœli culmine terga Nepe?
Eloquar, Uranie respondit: Scorpius istis
Nescio quem terret nocte silente minis.
Quo nascente stetit spargens lethale venenum
In medio, cauda virus habente, polo.
Cuncta licet verses, & te prope mundus adoret,
Quisquis es, incertas disce timere vices.

AD HORTULUM CLAUDIÆ.

Salu-

SAlubris hortule elegans ſuburbani
Ocelle ruris, & cubile Nympharum,
Qui vere jam tepente ſæpe jucundos
Præbes mihi puellulæq; ſeceſſus.
Sic nec tibi aura peſtilens odoratas
Lædat roſas, nec alba Caurus inviſis
Flabris adurat lilia, & novos rores
Miniſtret uſq; Memnonis nigri mater:
Mei, precor, jocos amoris occulta,
Dum te vel indies miſellus inviſo,
In herbuliſq; cum meo igne conſido,
Ubi latus rivi premunt ſuſurrantes,
Eduntq; motis ſibilum comis auræ.
Ibi illa multa delicata cum fiunt,
Tu cernis hortule, & vides coronatam
Meam puellam, paululum reclinatam
Mecum jacere ſomnulo velut leni
Victam, mecum dum mollibus caput ſertis
Revincit, & reflagitans in amplexus
Serpit venuſtè, ſuaviusq; blanditur.
Ocellulos tunc vibrat uſq; ridentes,
Meosq; ludibunda vexat ardores,
Et baſia uda millies columbatim
Figit rogata, ſpiritumq; transfundit
In cor meum: hinc amore membra tabeſcunt,
Halans Amaracus velut pruinoſis
Cum tacta flatibus repente mareſcit.
Hæc dulcis hortule, ut rogamus, occulta,

Ne

Ne Caprimulgi filia illa vicini
Sentire possit, illa quam probè nosti
Ad hoc salictum clam latere prostrat am,
Captare si quas auribus queat voces,
Ut deferat per urbis angulos omnes.
Et hinc meorum me sodalium cœtus
Vexant, quod asis æstimamus, à risu
Si temperarent pessimi Poëtarum.
Qui sæpe ceu vagi novos legunt flores,
Cum vix anethum, maluam, & allium norint,
In hortulos solent venire per causam
Venis tumentibus, velut nigra in sylva
Ad buculam ruit maritus armenti.
Hos tu procul fuga, & patens mihi soli
Mei jocos amoris hortule occulta,
Ocelle ruris elegans suburbani.

AD SIDUS BORUSSIACUM, svavissimum sodalem suum.

O Sidus, quid adhuc tuos amores
Semimortuus, & fere peresus
Curis, quid retices tuo Secundo
Nam simplex scio candidæ puellæ
Urit te pudor, impotensq; vivum
Exugit tibi sanguinem misello
Imis ardor inæstuans medullis.
Nec cæros latet improbus sodales

Ve-

Venis haustus amor siticulosis,
Sed flammas dolor arguit, colorq;
Insvetumq; silentium, feroces.
Frons porrectior ante, nec per herbas
Sordebant tibi floridi recessus,
Nec convivia, nec tui libelli.
At nunc illepidus repente vivis,
Festinans trepidus modò huc modò illuc,
Et voces leuiter proterviores
Et furtim numeros procaciores,
Mellillamq; sonas, Rosunculamq;,
Et qvicqvid miseri sciunt amantes,
Mulsum, delicias, amœnitates,
Vidi & cum roseas manu papillas
Velles tangere per jocum, sed arcte
Obseptus fuit hortulus: qvid vdas
Dicam, proh dolor, osculationes?
Et morsus, & anhelitus freqventes,
Nil abradere dum potes, premisq;,
Et pulchris inhias gemens ocellis,
Nec mentem satias, nec ima sentis
Labi tabidulam per ossa mortem.
Qvare, dum licet, es mihi monendus,
O sidus! nova dum recensq; flamma est,
Ignes excutias ut invenustos,
Tectum nec tibi blandiens venenum
Assvetudine nutrias & usu,
Victor sic eris, aut diu dolebis.

AD MARCUM ERIDANUM.

UT vetus hoc meritò, qui præterit herbifer Albis,
Urbs de virginibus nomen adepta gerit.
Tot quoniam facie præstantes Marce puellas,
Quamlibet è mediæ sanguine plebis, habet.
Nostra nihil certè videt his formosius ætas:
Vix Helenæ talis, vix Ariadna fuit.
Sunt tamen & faciles (mirum) fastuq; carentes,
Numen & Aonidum qui venerantur, amant.
Jamq; peregrino suspirat in hospite furtim,
Aggemit & nostris multa puella malis.
Me gemina torquent, spectabilis altera vultu,
Altera compositis, utraq; virgo comis.
Dividor, & flagrant duplicatis pectora flammis,
Sæva nec in curas quod Venus addat, habet.
Tu placidis Aloes feliciter ignibus ardes,
Cura surburbanæ virginis Eridane.
Quid tamen Aemiliam loquar, Aemiliæq; sorores?
Pulcrior hoc facies nulla sub axe fuit.
Viva potens in amore tuo, jam Marce propinquat
Mollior, exilio sors positura modum.

DE PUELLA INFELICI.

AEditus arboribus secreto nuper in horto
Solus, amans virgo dum quereretur, eram.

Dum

Dum legit hîc violas, dum fletibus irrigat illas,
Auribus hæc hausi tristia verba meis.
Ah nimis infidum genus, & crudele virorum,
Sic igitur falli digna puella fui?
Mater io, si qvid post fata novissima sentis,
Qvæ mala, morte tua sola relicta, fero?
Deseror infelix, alias monitura puellas,
Non juvenum verbis semper inesse fidem.
Cui tamen has violas? cui serta miserrima virgo?
An dabis hæc illi munus? an ipsa geres!
Finge dari, renuit: florum me dedecet usus:
Tam citò sic igitur spernor amata diu?
Nunc odii fingit causas, nunc perfida dicor,
Nunc omnes clamant: culpa, puella, tua est.
Juro tibi, mea lux, nil te mihi dulcius uno,
Nunc etiam, qvamvis sim tibi vilis ego.
Hactenus, & repetens suspiria lumina tersit,
O nunqvam vacuo pectore qvisqvis amat.

DE PEGASO EQVO AURORÆ, & Georgio Sabino Brandenburgense.

ADmonitrix operum tenebris aurora fugatis,
Vecta Medusæo præpete manè rubet.
Hunc prior alati pedis ictibus edidit atas
Fontis eqvum venas elicuisse novi:
Virgineas Helicon Lauros ubi præmia Vatum,
Educat, Aonius templaq; cœtus habet.

Pandite Pegasides, cur hujus origo liqvoris
Dicitur auroræ Pegasus ales eqvus?
Tempus (ait Clio) matris sub Memnonis ortum,
Aoniis gratum Vatibus esse solet.
Tunc vigor intus agit major, tunc pectora cœlo,
Ingeniis prima luce fauente, calent.
Indē fluunt sacri latices, studioq; perennes
Fons matutino fundit apertus aqvas.
Cur tamen acer eqvus radiantibꝫ additus astris?
Et qvæ fodit aqvas ungula, clara micat?
Conspicui fulgent (dixit Dea) sideris instar,
Ingeniosa mori qvos monumenta vetant.
Vatis at in clypeo cur non volat ille Subini?
Sic ego: sic Clio protinus orsa loqvi.
Pegasus ut cunctis pernicibus ocyor alis:
Impariter junctis sic prior ille modis.

AD PSITTACUM DANIELIS Stibar. Equ. Franc.

PSittace qvi vincis genꝫ omne canore volucrum,
Et docili fingis gutture mille sonos.
Dicere si fas est (sicut reor esse) latentem
Humanæ partem tu qvoq; mentis habes.
Ingeniumne sagax prius? an discrimina vocum,
An tibi tam raram mirer inesse fidem?
Tu vacuas mulces jucundis cantibus auras,
Comiter excipiens si qvis adire velit.

Sæpe

Sæpe chores ducis lepidos, & amabile qviddam
Succinis, & dulci risus ab ore sonat.
Temporibus certis tamen apta silentia præstas,
Postmodo qvodq; canas mens tua versat opus.
Voce nec admissum tu detigis ullius index,
Damna tua nemo garrulitate tulit.
At cur sæpe vocas nigrum? niger ecqvid inhæret
Pectoribus turtur Psittace fide tuis?
Hunc nec honore parem, nec amœni dotibus oris,
Cum tibi sit rari forma coloris, amas.
Qvid facere humanis debemus sensibus aucti,
Nomen amicitiæ cum venerantur aues?
Scilicet in domini te vertis Psittace mores,
Hinc ea dexteritas, hinc tibi tanta fides.
Dij faciant longos sit uterq; superstes in annos,
Gloria tu volucrum, temporis ille sui.

INFERIAE AD TUMULUM ULrichi Hutteni Eqvit. Fran.

ALloqvor Hutteni manes, cineresq; Poetæ,
Qvos brevis in mediis insula claudit aqvis.
Este salutati manes, hæc summa laborum est,
Alma qvies vobis sit, nec arena gravis.
Accipe cum violis lacrymas, tibi fundimus illas.
Morte tua felix maxime nuper eqves.
Felix morte tua, patriæ non fata ruentis
Cujus eras vindex, non tot acerba vides.

Patria post obitus tibi contigit altera, cœlum,
Major & in cunctos fit tua fama dies.
Fortunate cinis, venerande nepotibus ipsis,
Æternùm salve, perpetuumq; vale.

AD MALA AVREA.

AUrea mala mea donum salvete puellæ,
Aurea purpureis addita mala rosis.
Quæ mihi supremo, cum jam discedere vellem,
Tempore, formosa tradidit ipsa manu.
Addidit & voces blandas, repetitaq; fixit
Oscula cum lacrymis admonitura sui.
Este, precor, mecum semper, quascunq; per oras
Nunc vagus ignotis gentibus hospes ero.
Longa nec interea nostros via mutet amores,
Grata nec emigret pectore cura meo.
Talia Nausicæ decerpsit ab arbore poma:
Hesperidum tales vix tulit hortus opes.
Tale fuit roseis in odora vallibus Idæ,
Victrici tenuit quod Cytherea manu.
Poma suo quondam juvenes in amore juvabant,
Auxilium multis poma tulisse ferunt.
Regis aquæ pronepos malo Schœneida cepit,
Quam meruit cursus poma tulistis opem.
His tibi Cydippe (scit candida Delos) Aconti,
His patruo Cereris filia juncta suo est.
Fœtibus arbereis dominam placare solebat
Pastor amans, mittens aurea mala decem.

Fallor?

Fallor? an hæc etiam nobis cum traderet illa
Sensimus insolito pectus amore rapi?
Fulgor & extincto jam penè reluxit ab igne,
Lenis ut à zephyro crescere flamma solet.
Sive tamen fesso quod amem dabit altera tellus,
Seu mihi cura recens finis amoris erit:
Virginis assiduè meminisse juvabit amatæ,
Semper inoblitus muneris hujus ero.

AD JOANNEM HAGIUM FRANCUM.

HAgi, fugit hyems, novosq; tellus
Leni fœta parit tepore flores:
Quos per rura Favonius benignis
Mulcet flatibus, irrigantq; rivi.
Ergo mollibus ecquid in viretis,
Orto Sole, cubiculum relinquens
Lætos per juga flosculos, & vdis
Felices legis herbulas in hortis?
Et quascunq; ad opem rosas medendi
Tellus educat vtiles sub arcto?
Sic Hagi breve ver agas, sed æstas
Postquam transierit, Vesontionem
Antiquam venias, ut ante brumam
Ad flavos Ligeris volemus undas.
Aut, si fert ita Celitum voluntas,
Ad montis juga læta Pessulani.

Nunc solus gelida sedens in umbra
Ad rupes Dubii, recordor acta
Vobiscum rigido sub axe vitæ,
O desiderium meum sodales,
Omni tempore quotquot estis omnes,
Quos junxit mihi dulcis eruditæ
Consuetudinis usus, & recessus
Cultrices Heliconii, Gnidiq;
Lucos Diva colens arundinosa.
Absentis quoq; vos, mei sodales
Conservate memoriam Secundi,
Qui vos diligit, atq; amare porrò
Omnes, ut prius, est paratus annos.

AD MATTHIAM STOIUM BORUSSUM.

Quæris solicitos cupidis in amantibus ignes,
Stoi, cur toties sine carere putem.
Et memoras quorum veteres meminere Poetæ,
Quos ferus extrema tabe peredit amor.
Confiteor flammas alit assvetudo latentes,
Ponere nec facile est, quæ placuere semel.
Improba plus animos penetrant tamen oscula, Stoi,
Oscula constantes immoderata movent.
Scilicet alterni captatus spiritus oris,
Nescio quid junctis motibus intus agit.
Exanimaq; vagum lenem velut excipit auram,

Dum

Dum cupit ardores cor relevare suos.
Non aliter riguas tellus bibit arida lymphas,
Languidulas aliter non fovet aura rosas.
Utq; peregrina coalescit in arbore ramus,
Inq; vicem succos miscet uterq; suos:
Alter in alterius sic corpore vivit, & ardens
Pectoris est verè pectus amantis amans.
Dulcis amaricies amor est, tu candide Stoi,
Mollibus illecebris oscula mista cave.

AD SUSPIRIA ET LACRYMAS.

O Præsaga mei semper suspiria luctus,
O gemitus mœsti flebile cordis opus:
Qvid toties æger de pectore spiritus imo
Surgit, & inviti sæpe madent oculi?
Cura nec optatos sinit anceps ducere somnos,
Omnia dum media lassa qviete jacent?
Non mihi jam veteres (semel insanivimus) ignes
Versat in accensis ossibꝰ acer amor.
Qvid tamen est præsaga mali, qvod pectora mœ-(rent?
Qvod gemo, qvod causa sæpe latente fleo?
Tristia venturos cognosco per omnia luctus:
O anime infelix non potes esse diu.
Nil præter lacrymas hæc, & suspiria vita est,
Qvæ si fine bono clauditur acta, sat est.

INFERIAE.

HÆc tibi, fide, Mari, posui monumenta Secundus,
Extremum sanctæ pignus amicitiæ.
Qvandoqvidem procul à patria florentibus annis
Funere te sævo mersit acerba dies.
Ossa jacent tumulo: victuri gloria restat
Nominis: ad superos mens pia fecit iter.
Salve pars animæ nuper dulcissima nostræ,
Gaude, & perpetuum rursus ave, atq; vale.

D. M.
D. JACOBO MARIO, GERMAno, pietatis & ingenii laudibus insigni, amico incomparabili, P. Lotichius poss.

B. M.

Expiravit in amicorum manibus XV. Calend. Novemb. Anno salutis, D. ac II. & L. supra mille.

Ruta,

Ruta.

ANte alias omnes, qvas tellus educat, herbas,
Jucunda eſt oculis Carole Ruta meis.
Nec mihi malverim Thyma, nec Meliloton, & illas
Sangvine qvas tinxit Cypria diva, Roſas.
Creſcit in excultis genialis Amaracus hortis,
Vere novo violæ, lilia vere nitent.
Gramineas decorant madefacta Siſymbria ripas,
Eſtq; ſuum Menthæ Marrubioq; decus.
Floribus & foliis, variisq; coloribus omnes,
Pæoniisq; aptas vſibus eſſe patet:
Sed tamen utilitas, & tanta potentia Rutæ eſt,
Ut ſuperet meritis gramina cuncta ſuis.
Ruta virens abigit metuendos ictibus angues,
Ruta inhibet dira mixta venena manu.
Hæc recreat tectos caligne luminis orbes,
Et caput & cerebrum roborat acris odor.
Nec minus hanc ſævos certum eſt lenire dolores,
Nec levis eſt Paphyæ vis inimica Deæ.
Hinc oleum medicos lentum ſervatur ad uſus,
Hinc tepidus liqvidas elicit ignis aqvas.
Nec foliis gelidæ ſpoliatur tempore brumæ,
Nec Rutam nimio frigore lædit hyems.
Stirpibus atq; herbis Boreas cum demit honorem,
Ruta viret nullo langvida facta gelu.
Utilis hanc capiti vel circum Salvia creſcit,
Vel prope mollita creſcit Hyſopus humo,

Et qvoties diræ ſerpunt contagia labis,
Implorant homines graminis hujus opem.
Illa Ducum clypeos ornat, nunc langvida, ſed mox
Albis ab Arctoas læta reſurget aqvas.
Hanc meus ad gelidam portabat ſignifer Arcton,
Cum dubio belli tempore miles eram.
Dicite Piërides qvo primùm tempore cœpit
Acris in hortenſi Ruta virere ſolo?
Paſtor erat teneræ ſuccenſus amore puellæ,
Dulcia cui curæ carmina ſemper erant.
Is deſiderio tabeſcens mœſtus inani
Concidit, & virgo, dixit, amata vale.
Faunus amatoris ſortem miſeratus acerbam,
In germen corpus juſſit abire novum.
Totq; poteſtates tribuit, tot munera plantæ,
Excepto, Rutam qvod levis odit amor.
Flexibiles Myrthi, Lauriq;, Hederæq; valete,
Ruta Comas tantùm cingat odora meas.

IN PAGUM PROPE NIGRUM.

DUm grauis æſtivis ardet fervoribus aër,
Et micat Icarii fervida ſtella Canis:
Rura ſacros Vates, gelidæq; in vallibus umbræ,
Blandaq; graminei ceſpitis herba, juvant.
Grataq; delectant ignobilis ocia vitæ,
Contendunt cineri dum ſupereſſe ſuo.

At

At mihi nec vitreis tantùm Nicer herbifer undis,
Prata nec irriguis fontibus vda placent.
Qvantùm ſecuro duleis mihi Villa receſſu,
Villa racemiferis undiq; cincta jugis.
Fortunata nimis ſacris domus hoſpita Muſis,
Qva reqviem Phœbus gaudet habere ſuam.
Qvid primum mediumúe canam? qvo carmine (laudes
Exeqvar, ut par eſt, Villa beata tuas?
Non tibi jucundi facilis clementia cœli,
Jugera non deſunt fertilis ampla ſoli.
Pampineo paſſim campus veſtitur amictu,
Lætaq; perſpicuis fontibus arva madent.
Paſcua nec pecori deſunt, & arata qvotannis
Agricolæ precium grata rependit humus.
Tum vitreus, gelidis qvi vina refrigerat undis,
Labitur argutæ rivulus uber aqvæ.
Rivulus inducens tranqvillos murmure ſomnos:
Sæpe viatoris mitigat ille ſitim.
Adde bonos hominum mores feritate carentes,
Et qvæ jura vigent legibus æqva ſuis.
Qvid referam teneras ſine ruſticitate puellas,
Moribus inſignes, mente, pudore, fide?
Una ſed è reliqvis argutis præſtat ocellis,
Digna vel eximii principis eſſe nurus.
Ruſtica (confiteor) Xanthi ſed qvalis ad undas
Paſtori junxit Cypria diva latus.
Non ego te vero pulcerrima nomine dicam,
Phyllidis interea tu mihi nomen habe.

Phylli

Phylli decus ruris, ſpes, & mea Phylli voluptas,
Tota ſit aſpectu villa beata tuo.
Unica tu præſtas noſtris ſolatia curis,
Omnia tu noſtræ gaudia triſticiæ.
Qvaliter, Æois cum ſurgit Lucifer undis,
Oceanum radiis veſtit & arva ſuis:
Blanda verecundo ſic ardent lumina vultu,
Sic oculis fiunt cuncta ſerena tuis.
Muſa ſile: mea Phylli vale, lux unica ſalve,
Et ſtabili gaude Vatis amore tui.
Sed neq; me tantùm pulcræ ſine crimineNymphæ,
Conſita nec lætis frugibus arva juvant.
Nec cœli facies, nec amicti palmite colles,
Prataq;, nec feſſis dulce levamen aqvæ:
Qvantum, grata ſacris qvæ vatibus ocia præſtas,
Hoſpitium Muſis villula dulce meis.
Hîc ſtomachum mihi cœpa rubens,& oluſcula pla-
Et lanio debet noſtra culina nihil. (cant,
Interea viridi reſidens Philomela ſub umbra,
Fata iuventutis luget acerba ſuæ.
Accedunt ſine felle ſales, ſine lite ſodales,
Nataq; vicinis dulcia vina jugis.
Divitias alius, qvem ſic agit ardor habendi,
Congerat, & magnas qværat avarus opes.
Sat mihi, ſi tantùm vitæ qvæ poſtulat uſus,
Poſſideam in gremio villula cara tuo.
Non rixoſa fugat dulces vicina ſomnos,
Corpora tranqvillus dum rigat vda ſopor.

Tota

Tota dies jucunda fluit, ſeu lege ſolutis,
Seu libeat junctis ludere lege modis.
Ruris amatores Vates ſumus, urbe relicta
Concitat afflatu nos Deus ipſe ſuo.
Scilicet occultas dant ipſa ſilentia vires,
Carminaq; ornatu verſicolore nitent.
Ceu Thyma ſæpe ſimul, vel aqvoſa Siſymbria floreant,
Albaq; purpureis lilia mixta roſis.
Deſino : Cara vale mihi villula, Phylli valeto,
Vatis & extremum munus amantis habe.

HELICANA MARIO SUO.

QVam mihi miſiſti procul hoc, mea vita, ſalutem,
Attulit ad Nieri flebile carmen aqvas.
Protinus ut vidi : mea dulcis epiſtola, dixi,
Nunqvid es à Mario nuncia miſſa meo ?
Hæc ego : nec lacrymas oculi tenuêre profuſas,
Nunc ſcio, cur lacrymis gaudeat omnis amor.
Me formoſa tenent culti tibi flumina Nicri,
Te ſine luminibus nunc inamœna meis.
Nec tu credideris ſocias neſcire puellas
Te ſine me ſævo penè dolore mori.
Sive Palatini cultos in Principis hortos
Imus, in his oculi qvod lacrymentur habent.
Aſpicio, ſine te, qvondam loca dulcia nobis,
Et qvoties texo florida ſerta, fleo.

Sive

Sive peto ſylvas, nemus aut venatibus aptum,
Accumulant curas ſylva nemusq; meas.
Mirabar, nomen mihi cur Helicana fuiſſet,
Sum miſera, & ſine te, Lux mea, triſtis ago.
At ſi tu redeas extremis ſoſpes ab oris,
Adventu refere; gaudia cuncta tuo.
Tunc mihi ventorum fremitus narrabis, & urbes.
Et miri tellus qvicqvid & æqvor habet.
O felix noſtros qvi lectulus audiet ignes,
Alterius qvando flebit uterq; vices.
Sed nunc Tyrrhenis forſan tu lætus arenis,
Non memor & patriæ, cum patriaq; mei.
Aut viridi reſidens Myrthi redolentis in umbra,
Dulcia ſecura carmina mente canis,
Forſan & è Lauro texis florente coronam,
Qvam gerat ornatis non Helicana comis.
Hei mihi, qvod faciles tellus alit illa puellas,
Perq; domos dantur baſia, perq; vias.
Qvid mihi jam fiet, ſi tu deceptus ab illis
Protrahis extremo lentus in orbe moram.
Nec vereor fruſtra, qviddam vaga fama ſuſurrat,
Nympha qvod in laribus ſit tunicata tuis.
Parce per antiqvos (ſi forte meremur) amores,
Dulcibus illecebris ne capiare vide.
Sed potius tempus jucundos inter amicos
Falle, vel Aonia, qvæ mihi grata, lyra.
Aut cole finitimos (nihil illis dulcius) hortos,
Sed tamen hos intret ne qva puella cave.

Non

Non eqvidem timeo: ſed cuncta timemus aman-
Tu modò non dubita de probitate mea. (tes,
Oro per arcanas, qvondam tua gaudia, flammas,
Immemor in nulla ſis regione mei.
Deprecor hoc unum, non omnia ferre recuſo
Triſtia, te ſalvum dum mihi ſervet amor.
Hei mihi, qvod longis ambo diſcernimur oris,
Pectore ſum tecum, corpus abeſſe qveror.
Tu qvoq; me fido cum pectore ſuſpirabis,
Cum lacrymis oro, dic, Helicana, vale.

Eadem ad eundem.

Candidus en iterum, feſtam mihi ſemper haben-
Portat ab Eoo Lucifer axe diem. (dam
Hac meus æthereas Marius (qvod proſit) in auras
Venit, & eſt flammis edita cauſſa meis.
Optima lux ſalve, non te mihi dulcior ulla,
Dum mea ſic nuper fata tulêre, fuit.
Nunc procul hinc meus ignis abeſt, nec, ut ante ſo-
Natali mecum gaudet in urbe ſuo. (lebat
Aſt ego (me miſeram) veluti ſine turture conjunx
Grata mihi qvondam tempora triſtis ago.
Scilicet ipſa geram comtis nova ſerta capillis,
Icarii flammas ſideris ille feret?
Ipſa choros ducam geniales culta per hortos,
Irati fremitus audiet ille maris?

Non

Non mihi ſic cunctas mutabile pectus in horas
Ultimus hic ardor, qvi mihi primus, erit.
Flave Nicer, cujus formoſas accolo ripas,
Qvi vitreas leni murmure voluis aqvas.
Teſtis es occultis ſolam tabeſcere curis,
Teſtis es aſſvetas uſq; madere genas.
Mite dedit pectus teneris natura puellis,
Qvamq; viri majus pondus habere ſolent.
Vos ego Dii faciles, qvos appellamus amantes
Vos oro, tempus dum genitale colo:
Sit felix Marius, veteresq; reviſat amores,
Sitq; memor patriæ, cum patriaq; mei.
O utinam cupidàs ferat hæc tibi ventus ad aures,
In qvacunq; manes jam regione Mari,
Fervida ſentires utinam ſuſpiria, fleres,
Cauſſa meus cuperem fletibus eſſet amor.
Non volo te, mea lux, curis mordacibus angi,
Sat mihi ſi firmo reddis amore vicem.
At tu feſta dies, felicis conſcia partus,
Sæpe mihi ac Mario poſt veneranda redi.
Simq; ſecuturos Helicana fidelis in annos,
Ipſa animi reqvies illius, ille mei.

AD GEORGIUM FABRICIUM Chemnicenſem, Poëtam.

MItis, & Aonidum ſtudiis exculte Georgi
Carmine cui dulci Muſa placere dedit:

Forſi-

Forsitan unde tuas veniant miraris ad ædes,
Qvæ legis, ignota verba notata manu.
Illa tibi mittit, qvamvis properata, Secundus:
Da veniam, tempus non habuere suum,
Venimus in geniale solum Misneidos oræ,
Tectaq; Leucoreæ liqvimus alta Scholæ.
Hinc loca terrigeno passim fœcunda metallo,
Et Salæ liqvidas inde petemus aqvas:
Cujus ad herbosas hoc tempore tristia ripas
Carmina, STIGELIUS flebile ludit opus.
Te qvoq;, qvi Phœbi doctis caput artibus effers,
Magna, sacer Vates, cura videre fuit.
Ad celebrem qvoniam fama prænovimus Albim,
Qvanta sit ingenii gratia lausq; tui.
Legimus & populos, & qvas lustraveris urbes,
Dum numero cantas regna Latina gravi.
Cras genitrix lucem cum Memnonis orta reducet,
Tempus erit, cœptas rursus inire vias.

DE SPECIE CONSPECTA IN Aere, supra oppidum Ysenberg, Anno 1553. Mense Junio in Meridie.

HOc celum, & magnus, qvo circumfundimur, (aër,
Indicio produnt sæpe futura suo.
Portentisq; monent, offenso numine Divûm,
Post caput ultrices numinis esse manus.

Cur

Cur exempla petam veterum? cum tempore no-
Prodigiis careat nullus in orbe locus. (ſtro
Vicino ſpecies & nuper in aëre viſa eſt,
Non ſpernenda metus nuncia dira novi.
Urbs antiqva jacet (Ferri vocat incola montem)
Tyrigetum à Myſis ſeparat illa ſolum.
Ad Zephyri flatus Turingia panditur, inde,
Solis & Eoos Myſia ſpectat eqvos.
Illic, cum nullæ cinxiſſent æthera nubes,
Et mediæ Titan lucis haberet iter:
Ecce volubilibus rapidi duo nexibus angves,
Aëris obliqvas corripuêre vias.
Igne micant ambo, rutilant per cœrula flammæ:
Fallor? an ille color ſanguinolentus erat?
Protinus adverſas magno ſtridore per auras
Orta repentino bella furore movent.
Implicitisq; trahunt ſinuoſa volumina caudis,
Tortilis ut nudos implicat Alga pedes.
Mutuaq; alterno laniant ita vulnere terga:
Sollicitus populi concutit oſſa pavor.
Adde, qvod in medio funeſtos inter hiatus,
Flammea terrificæ fulſit imago crucis.
Credite mortales, horrentia prælia reſtant,
Horrida pro patria prælia, proq; fide.
At tu ſumme Pater, cœlum cui ſeruit & aër,
Qvo peragunt motus auſpice cuncta ſuos:
Omnipotens, nulla fati qvi lege teneris
Irrita fac nutu ſigna tremenda tuo.

Illa

Illa qvidem fuerint ſævi prænuncia luctus,
Sed tua per caſtas flectitur ira preces.
Si tamen iſta petunt meritas diſcrimina gentes,
Serva relliqvias agminis ipſe tui.
Nos ſemper nomenq; tuum, laudesq; canemus,
Nam qvodcunq; ſumus, numinis omne tui eſt.

EPITAPHIUM HENRICI STIBARI EQVIT. FRANC.

HOc tibi Piërides ſtatuunt meVate ſepulchrum
Cauſſa recens luctus care Stibare mei.
Vixiſti mecum juvenis, concorsq; voluntas
Lædere qvam potuit nulla qverela, fuit.
Tu mihi debueras naturæ lege ſuperſtes
Solvere, qvæ cineri munera ſolvo tuo.
Nos Arar, & Ligeris, nos Seqvana vidit, & ingens
Hoſpitio Rhodanus fovit utrunq; ſuo.
Vidit & ad Lædi ripas prærupta Pyrene,
Qva tumidum præceps in mare fertur Atax.
Integer, innocuus, pius, utilis omnibus æqvè,
Ingenii variis dotibus auctus eras.
Nunc memor obſeqvii dulcis veterumq; laborum,
Ante ſitos raptum te qveror eſſe dies.
Hoc ſaltem extremum noſtri tibi pignus amoris
Accipe, & æternum dulcis alumne vale.

P. LO-

P. LOTICHII SECUNDI ECLOGAE.

SARNIS, VENATOR.

ECLOGA I.

JAm gelidos vocor in salto, viridesq; sub umbras
Altorum nemorum, juvat ire per avia sylvæ
Ad liqvidos fontes, celebrataq; flumina Nymphis:
Et vigili patulos indagine cingere montes.
Tuq; adeò decus Aonidum, domitorq; ferarum
Et merces jucunda mei Sturmere laboris,
Ingredere aspirans, mecum venabere Damas,
Mecum Capreolos, ramisq; sub arboris altæ
Duces securos in molli cespite somnos.
Ipse etiam citharam Phœbus qvandoq; reponit:
Et pharetras plectris, & mutat plectra pharetris.
Æstus erat mediusq; dies, & fessa per omnes
Captabant valles animalia frigus opacum,
Alituumq; genus, ripæq; amnesq; silebant:
Cum Lycidas solis recubans Venator in antris,
Corniger aërias ubi Cynthius educat Alnos,
Absentem flebat SARNIM, gemitusq; ciebat,
Ad circumstantes evolvens talia sylvas.
Sylvæ, qvæ tenues ramis diffunditis umbras,

Umbræ

Umbræ dulce mihi riguis ſolamen in herbis,
Ex ſacri fontes,& amicæ fontibus auræ.
SARNIS vbi eſt? quib. infelix in montib. errat?
Quas habitat terras Sarnis? quibus exulat oris?
Rupibus hic Coridon & Iolæ frater Amyntas,
Phyllidis & veteres jactant Amaryllidis ignes.
Paſtores ambo: nemorum nec pœnitet illos.
Nos te, care puer,Solis redeuntis ab ortu
Solis ad occaſum, medioq; vocamus in æſtu.
Nec te pœniteat nemorum: ſunt humida nobis
Antra,fatigatis puras dat Cynthius vndas,
Cynthius vmbroſas valles, & frigenda Tempe.
Omnia tecum vna fugerunt gaudia noſtra,
Sarni,nec è tereti ſine te venabula quercu,
Nec pharetras geſtare libet:cui noſtra laborent
Retia?quis pariles ætate lauabit ad amnem
Capreolos,texetq; nouos per cornua flores?
Felices olim ſyluæ,quas SARNIS ohibat
Sidere Luciferi primo,dum naribus acres
Intemerata canes roſtris veſtigia captant.
Gaudebant ſyluæ,gaudebant frondea rura,
Aurarumq; leues animæ, atq; in montib. vmbræ.
Non illum Zephyris latuit variantibus aër,
Non oriens Phœbus: ſudi prænuncia ſigna,
Quidq; vehant Hyades,quid agat venator Orion
Nouerat, & tacitæ per amica ſilentia noctis,
Tela gerens humeris ibat,dum frigida celo
Sidera conniuent blandos imitantia ſomnos.

Ah mi

Ah miſer, ignotis nunc errabundus in oris,
Antiqvos imo ſuſpirat pectore ſaltus,
Saltusq;, fluvioſq; & amica cubilia valles.
Non mihi te ſaltem licuit, dulciſſime rerum,
Affari extremum, ſupremà nec oſcula junxi,
Nec mandata dedi, nec, SARNI revertere dixi
Inſelix: cum tu Lycidam Nymphasq; juberes
Eſſe tui memores, iterumq; iterumq; vocares,
Humida declinans ad amatos lumina colles.
SARNI vale, celſæ reſponſant undiq; rupes,
Reſponſant cava ſaxa vale, vale optime SARNI.
Hûc puer ô formoſe, novas hic explicat umbras
Populus, & viridi prætexit gramine ripas
Cynthius, & molles irritat murmure ſomnos:
Hûc puer ô formoſe redi: non tempora vitæ
Longa meæ ſuperant, tu nunc eris alter in iſtis
Montibus, & manuum invenies monumenta mea-
Ipſe tibi ſævo tutas à frigore Myrthos, (rum.
Ipſe ſero Lauros, & dum ſero, creſcite dico.
Felix illa dies, qva tu mihi redditus olim,
Poſt triſte exilium, poſt duros mille labores,
Narrabis caſusq; tuos, & flumina, & urbes,
Qvæq; peregrinis habitent animalia ſylvis.
In numerum qvercus ipſæ, fagiq; loqventes,
Ipſæ conualles, ipſa hæc arbuſta ſonabunt:
Ducite, ut ante, canes pueri, geſtate pharetras.
Sperabant hic læta ſibi connubia Nymphæ
SARNI, tua captæ forma, & florentibus annis.

Nunc

Nunc ſpes abſumtæ Nymphis, nunc vallibus imis
Abruptos luget Dryadum chorus omnis amores,
Gramina ſylveſtres ſanant Gortynia capras,
Qvas bonus occulta Venator arundine fixit:
Non deſiderium relevant, non gramina curas,
At tu non iterum noſtros miraberis arcus
Care puer, non his fuimus, dum fata tulerunt,
Indecores ambo ſylvis: tu prima voluptas,
Tu poſtrema mihi, meminiq; ô SARNI tuorum
Luſtra per hæc qvondam, memini, venerande, labo-
Ut jaculum hoc ima ſemel à radice reciſum, (rum
Qvod ſolidum nodis olim fortiſſimus Hagnon,
Qvod Lycidæ nunc dextra gerit, non amplio ullas
Induet aut frondes, dabit aut venantibus umbras:
Sic noſtro nunqvam cedet de pectore SARNIS.
SARNIS nos dilexit, & ipſe eſt dignus amari.
Sis memor ô, longumq; vale jam dura canentem
Fata vocant Lycidam, riguis tua dignior ætas
Fontibus, & ſylvis, & amictis gramine ripis:
At meus in tenues vaneſcat ſpiritus auras.
Hæc Lycidas, & furgit, eum comitantur euntem
Aſterionq; Laconq; canes, & grandibus ora
Humectant ambo lacrymis: ille undiq; ramis
Ilice deciſis alta prope flumen amœnum
Tela ſagittiferis ſuſpendit clauſa pharetris,
Et picturatos, qvos Sarnis geſſerat, arcus
Subligat, & jacula, & pedicas, & tortile cornu:
Addidit & titulum Lycidas: hæ *Sarnidis* arma,

Illum etiam ſylvæ, illum etiam flevitis arenæ,
Herbifer illum etiam te nomine SARNI vocantem
Cynthius, & gelidis flevit ſub collibus Acis,
Mœſta repercuſſis gemuit quoq; rupibus *Echo*.

VIBURNUS, VENATOR.

ECLOGA II.

FOrtè quieſcebat gelida Viburnus in umbra
Venator, liquidas ubi tardis flexibus undas
In mare deducit per opaca ſilentia Varus.
Illic, mane novo, ſalicum nemus inter amœnum
Ah procul à dulci patria, clamore propinquos
Implebat Ligurum montes, & brachia cœlo
Tendebat lacrymans, ſurdaſq; ita flebat ad auras.
Sol qui luciferos tollis de gurgite vultus,
Purpureoq; rigas diffuſum lumine mundum,
Abde caput Sol magne, nigreſcant omnia circum,
Dum queror infandos caſus, & acerba meorum
Exilia, & Divos ſuprema comprecor hora.
O patria, ô Regum genitrix, clariſſima bello,
Plena animis, felix populis, & prole virorum
Dum fortuna fuit, nunc diis averſa voluntas
Jamdudum · vera ergo tuos mihi fama labores
Ad maris Heſperii littus, Solemq; cadentem
Detulit, unde ſuror? quæ tanta inſania ferri?
Dicite vos altis lapſi de montibus amnes,
Rhene pater, tuq; uber aquis ſtagnantibus Albi,

(Scitis

(Scitis enim, & longo memores repetitis in ævo)
Quot nati cecidere Ducum? quot in æquior apertum
Qvadrupedesq; virosq;, & fortia volvitis arma.
Vos etiam avectas externo milite prædas
Oppidaq;, eversasq; urbes vidistis, & arces
Collibus impositas, ferro qvas impius hostis
Eruit, aut hausit ferro crudelior ignis.
Sistite currentes vaga flumina, sistite lymphas.
Impius hæc nobis hostis monumenta reliqvit,
Sanguine fumantes campos, sqvalentiaq; arva.
Ad vos adversis undas diffundite ripis,
Tantorumq; ignominias abolete malorum.
Infelix patria, en longi qvæ præmia belli,
Quàm spolia ampla refers? nostros affectat honores
Barbarus, in nostris regnans agit ocia sylvis.
Nos procul expulsi, rapido loca torrida ab æstu,
Littoraq; usta siti, & vacuas lustramus arenas.
Quicq; olim in tacitis nemorum secessibus, omnem
Florem ævi, & primos venatibus egimus annos,
(Heu sortem miserandam) istis nunc Ostrea saxis,
Ostrea, & hærentes scopulis avellere conchas,
Dicimus, æqvoreisq; famem solamur Echinis,
Et sæpe in nuda defessi sternimur Alga.
Vix humiles Varus salices, Alnosq; virentes
Sufficit, & dulces nautis sitientibus undas.
O ubi culta secans liqvido pede Cynthius arva
Per virides saltus, perq; avia lustra ferarum
Labitur, & Dryadum secretos audit amores:

Dum puer aſſveto reſidens canit ACIS in antro,
Hûc ades ô Telethuſa, ades ô mihi dulcis Oreas.
Ille canit, valles iterant, collesq; reſultant.
Sed neq; jam pulcrum ſupereſt, nec amabile qvicqvam,
Nec prior illa colit ſylvas & rura voluptas:
Ipſa fugat longè pavidas Diſcordia Nymphas
Eſſera dum montes nigris circumvolat alis,
Et conſangvineos trahit in fera prælia Faunos.
At tu ſi precibus, lacrymis ſi flecteris ullis,
Omnipotens miſerere pater, miſerere laborum
Tantorum, ſatis ultrices exhauſimus iras.
Si tamen id fixum ſedet, ut commiſſa luamus
Noſtra, juvant ſcelerum meritas exolvere pœnas,
Ut placida ſaltem creſcant in pace nepotes:
Si qva dies poſſit gentis ſarcire ruinas.
Hoc precor, hanc manes liceat ſpem ferre ſub i-
Exere luciferos Sol nubibq, exere vultus. (mos.
Hacten hæc Viburnus: eum audivêre gementem
Vicino Lycidas qvi fortè ſedebat in antro,
Et celſis Ligurum deſcendens montibus Acron.
Exilii comites, ambo florentibus annis,
Inſignes ambo calamis, venatibus ambo,
Illi, ut creſcentes mulcerent carmine curas,
Et veteris luctus conſolarentur amici:
Inter ſe, alternos cœperunt edere cantus. (cron.
Tunc prior hæc Lycidas, hæc ordine proximus A-
LYC. Nymphæ cæruleo qvas nutrit Varus in amne,
Sit mihi fas Nymphæ, ſalicum de fronde coronam
Texe-

Texere, jam primum viridi pubescimus ævo,
Mox dabitis natas hæc ipsa ad flumina Myrthos,
ACRON. Auræ qvæ gelidos colitis per devia lucos,
Dum sedeo, & tectus canto fluvialibus umbris,
Vos lenite æstus, numerosq; & verba canentis,
Sicubi fessa jacet, Nisæ referatis ad aures.
LYC. Fluminibus valles riguæ, vaga flumina ri- (pis,
Arboribus ripæ, fletu gaudemus amantes.
Flevimus, & plenos lacrymarum fudimus amnes,
Et tamen (heu) qvantis torrentur pectora flammis?
ACR. Arcturo cervos, Delphini sidere tauros,
Vere novo rigidos Venus ignea concitat ursos:
At furor ille mihi toto non deficit anno,
Nec finire licet tanto mihi morte dolores.
LYC. Ille Aper (ah) miseris qvi vastat rura colonis,
Ille ferox si pendet Aper mihi sangvine pœnas,
Hîc Triviæ celsa reddam capita horrida Pinu.
Mitis ades, memorum custos Latoniu virgo.
ACR. En de ramosa venabula qvattuor Orno,
Ecce duo tibi Nisa, duoq; hastilia Nymphis,
His feries pavidos, nemora inter frondea, Cervos,
Cervos, & capreas, & fulvo tergore Damas.
LYC. Ad fluvium duc Daphni canes (vocat æstus in umbram)
Nec catulos virides sine lascivire per herbas.
Eia agedum, reqviesce Lacon, reqviesce Lycarba,
Fervidus Hesperias dum Sol declinet in undas.
ACR. Ad salices mea Nisa veni, dum retia tendo.

Hic nemus, hic gelidis lenes afflatibus auræ.
Huc ades ô mea Nisa, novos tibi ruris honores,
Purpureas uvas, & cana Cydonia servo.
Lyc. Vesper adest pueri, nodosa refigite lina,
Humidaq; ad Boream suspendite, non bene Lunæ
Creditur, hoc primum: sed cum prænuncia lucis
Fulserit exoriens Aurora, revisite silvas.
Ac. At mihi nocte magis latos obsidere campos,
Insidiisq; placet dumosas claudere valles,
Cum terræq; fretumq; silent, micat Arcadis ursæ
Sidus, & argutis circum tremit ignibus æther.
Ly. Exul ago, & teneros meditor (quos credat?) amores,
Solariq; juvat rapidos, quibus urimur, æstus,
Flumine Vare tuo. Quid tum, si fata negabunt
In patriam reditus? Tellus commune sepulchrum est.
Ac. Vos ego dilectos cineres, atq; ossa parentum,
Et nemora, & dulces jubeo salvere penates.
Cynthi vale. Quid tum, patriæ si nulla videndæ
Spes superest? Uno sub Sole jacebimus omnes.
Hæc illi: ad mediis Varus caput extulit undis,
Rugosoq; notans in Fagi cortice versus,
Cæterea ad Eridani, dixit, cantabitis amnem.
Dixit, & obliqvo rursus caput abdidit alveo.

NICER.

ECLOGA III.

Astro-

A Strorum nitidos aurora fugaverat ignes,
Purpureoq; foras cœli reseraverat ortu,
Cum Nicer egregias urbes, terrasq; jacentes
Collustrans, frugesq; novas, cœlestia dona,
Lætitia sensit dulces sub pectore motus:
Cœrulens Nicer, irriguis qui præsidet undis,
Nec mora, vicina ripæ dejectus in umbra,
Aurea suspiciens formosi lumina Solis,
Talia jucundas lætus cantavit ad auras.

Jam tandem Sol dux sati, Dux lucis, & ævi,
Sol, qui perpetuo torques vaga secula motu,
Expectata diu jam tandem gaudia portas.
Sic equidem volvebam animo, tristesq; mecum
Solabar casus: nec me sperata sefellit
Sors rerum. Prisca sobolem de stirpe parentum
Agnosco, regum genus, atq; Heroibus ortum!
Cujus ab auspiciis fausta pulcro ordine luces
Succedunt, terrasq; novo candore serenant
Purpurei Soles, & antica splendida Luna.
Sidera tum mites aura, Zephyriq; salubres,
Purgarunt latè corruptas aeris oras.

Urbibus hic pulsis cives, & civibus urbes
Reddidit, ac lasi pluvanit numinis iram.
Jamq; adeò populos cœlo delapsa revisit
Justitia, humani generis decus, unica custos
Imperii, cui sancta fides & fœdera curæ.
Hanc circum Pax læta volans plaudentibus alis
Exultat: Pacis sequitur comes, optima rerum

Libertas, longo terris post tempore visa,
Libertas faustum terris & amabile nomen.(laudes
Vos qvoq; qvæ veterum Heroum super æthera
Tollitis, ac memori transscribitis omnia famæ,
Pierides salvete, Jovis genus: Ocia jam vos
Certa manent, veterum finem sperate malorum.
Fortunate Nicer, tu nunc per pinguia terræ
Ubera, perq; urbes elatis cornibus ibis,
Agnosceq; tuum latè increbrescere nomen:
Et nemora, & tua rura, tuosq; virescere colles.
Interea molli residens in gramine pastor,
Vel pastor, vel secreto venator in antro,
Mulcebunt dulci labentia flumina cantu:
Gaudebunt undæ, gaudebunt Naiades vdæ:
Et vos ô gelidæ nemorum gaudebitis umbræ,
Ludentes ubi mane canent, ubi vespere Musæ,
Et mansura sui longum monumenta per ævum
Dulcia purpureis incident carmina truncis.
Innumeris alii se tollunt laudibus amnes,
Credo eqvidem: varios alto sub gurgite pisces
Rhenus alit: fontesq; suos, suaq; ostia jactat
Danubius: genus acre virum pater educat Albis:
Magnanimos Nicer Heroas, rerumq; potentes,
Insignes pietate Duces, & fortibus ausis.
Suave sub auroram colles reptare salubres,
Dum tenues spirant Zephyri, blandæq; volucres
Nascentem cantu lucemq; diemq; salutant:
Suave etiam, postqvam rapiaus deferbuit ardor

Jam

Jam labente die gelidos invisere fontes,
Mollibus in pratis, sub frondibus arboris altæ:
Suavius, armorum populus terrore solutos
Aspicere, & placido decoratas Principe terras.
Pastores cohibete greges, & parcite ripæ:
Ripa gerit Regum natos è sangvine flores,
Eqvibus Heroum texent sibi serta nepotes.
O decus, ô reqvies afflictis unica rebus,
Ecce tibi ad patrii vada fluminis aurea surgunt
Citria, odoratis pendent mala aurea ramis.
Ecce tibi roseis se punica floribus arbor
Induit, & virides densant umbracula Lauri.
Nec teneræ sitiunt oleæ, liqvor almus aqvarum
Temperat, & vitreis humectat gramina guttis
Desuper illacrymans, Venerisq; & Solis amorem
Irrigat, ac suaves Thymbras, & flore comantem
Luteolo melilotum, & acanthi nobile gramen.
Huc ades ô, rapidumq; umbra solare laborem:
Nec te pœniteat mollem captare qvietem (nas
Propter aqvas. Ego sum, valles qvem cernis amœ-
Cursibus obliqvis, & mollia prata secantem,
Utilis infirmo pecori Nicer, utilis agris. (lus
Accipe & hæc, qvæ læta parens tibi munera tel-
Hactenus ignotas ægris mortalibus herbas
Submittit, novus unde vigor, novus usq; resurgat
Frontis honos, redeãtq; exhaustæ in pristina vires.
Salve Heros, salve ô nostris Sol addite terris,
Imperioq; bonus, rebusq; labantibus assis.

Finierat Nicer, illi urbes, vallesq; recurvæ
Plauserunt, plausere auræ, plausere volucres,
Et mentes priscæ subiit virtutis imago.
Has tibi primitias, ausis Otho fortibus ingens,
Sacrabam, nomenq; sublime ferebam
Colle sub herboso residens, ubi flumine pulcro
Cæruleus gratam Musis Nicer alluit urbem.
Quod si fata mihi, quæ tu facis, cecia servant,
O quales tibi cantabunt mea carmina laudes,
Quæ legere interdum juvet, ac celebrare minores.

LYCIDAS.

ECLOGA IIII.

SI vacat, & dulces juvat instaurare querelas,
Et cantu oblectare animum, curamq; levare,
Flumineas inter salices, Amasæe, vel Alnos:
Huc adès, & viridi mecum requiesce sub umbra,
Qua pater Eridanus campos & roscida lymphis
Prata secat, tumidisq; sonans devolvitur undis.
Hic incisa leges proceræ in cortice Lauri
Carmina, quæ vestris nuper digressus ab oris
Cantavit Lycidas, duri solamen amoris.
Illum amnes mirati, illum Ticinus, & ingens
Larius: insonuêre Alpes, gemitumq; dedêre.
Namq; canebat, uti nascentis origine mundi
Et felix ætas, & fortunata fuissent
Secula, cum pulcro gentes se more tenerent

Spon-

Sponte sua, & magnos colerent ante omnia Divos.
Omne ævum in sylvis, omnes venatibus annos
Ducebant, læti præda, regidisq; ferarum
Exuviis: fontesq; suos, sua flumina norant.
Donec paulatim succedere dirus habendi
Cœpit amor, moresq; alios nova protulit ætas.
Hinc Lunam, & pulcrum Solem, stellasq; minores,
Astrorum inprimis aptos venantibus ignes,
Orionis Canemq; refert, geminosq; Triones.
His miseram Clytiën, niveumq; adjungit Adonin
Floratum Veneri: nec agentem in retia cervos
Præterit Cebaliden: Vos ô pulcerrima qvondam
Corpora, nunc flores, quos educat humida tellus.
Hinc fastus Narcisse tuos, dum despicis omnes,
Increpat: ah, teneræ quæ tanta superbia formæ?
Infelix, jam ver illud, flos ille juventæ
Languescet, Dryadasq; olim Deus ultor amantes
Audiet, ac nullo tua pœna tacebitur ævo.
Nec silet, ut Nymphas, Dominamq; in fonte lavantem
Viderit Actæon, canibusq; immitibus usus
Rorantes multo fœdarit sangvine sylvas.
His addit niveæ secreta cubilia Lunæ,
Ut gremio Endimiona suum Dea foverit, utq;
Mortali in gelida furtim se junxerit herba,
Et pueri roseo caput acclinaverit ori,
Dum jacet, ac fessos recreat sopor humidus artus.
Tranat amans nubes, & ab æthere labitur alto
Noctis honos, cœliq; decus: miserantur euntem

Sidera, gratantesq; susurrant leniter auræ.
Te qvoq;, cui Lauro crines cinxêre virenti
Piërides, citharaq; sua dignatus Apollo est
Sturmere, insigni perducit ad æthera cantu:
Sturmere, Aonidum decus, & spes unica Vatum.
Tu qvoq; non pharetram interdum suspendis, & arcum
Ex humeris, serpunto; hederæ per tempora nigræ,
Aut intertexta crines tegit insula qvercu.
Hinc sylvas jaculis, & messes retibus aptas,
Venantumq; refert habitus: nec præterit Umbros,
Nec Morinum de stirpe canes, celeresq; Sicambros.
Morborum causas etiam demonstrat, & usum
Herbarum, morsusq; docet sanare ferarum,
Intybaq; scyllamq; gravem, tristesq; lupinos
Illinire, & veteri miscere bitumen Amurcæ.
Postremò cœlum aspectans, Solemq; cadentem,
Ocyroën Lycidas suprema voce salutat:
Crudelem Ocyroën, Zephyrosq; affatur, & auras.
Vos testes estote auræ, feror avius altos
In montes arcumq; volens, pharetramq; repono.
Vos qvoq; me nunqvam dilecta videbitis ultra
Flumina: qvandoqvidem nostras tu sola qverelas,
Ocryoë, tu sola meos contemnis amores:
Nec qvid sint lacrymæ, nec qvid suspiria curas.
Irriguis crescunt non unæ in vallibus herbæ,
Puberibus Seseli foliis, Hederæq; recentes,
Et baccis croceum & foliis bicoloribus Arum,
Arum ursis, apris Hederæ, Seseli utile cervis.

At

At mihi nulla mei crescit medicina doloris,
Nec desiderium radix levat ulla, nec unqvam
Labitur Ocyroes è nostro pectore vultus.
Jamq; vale, dura Ocyroë : tuq; omnia lustrans
Sol pater, astrorumq; ignes : vos littora, & amnes
Æternum salvete : Hæc verba novissima sunto.
Hæc Lycidas : & se virides projecit in herbas
Cum gemitu, & lacrymis Alpes respexit obortis,
Surrexit tamen, & nemorum deserta petivit
Hospitia, & Rheni fontes superavit, & ortus
Danubii, & notis tandem se reddidit oris,
Nec lætum patria, aut oculi videre suorum.
Tantùm ille in sylvis & in altis montibus errans,
Ingratos soles, ingratas carmine luces
Condebat, gemitusq; imo sub corde premebat :
Si qva dies posset tantum lenire dolorem.

DAPHNIS.

ECLOGA V.

MYRTILUS. CELADON.

IRrigui juxta fontem Acidis, ilice tecti;
Myrtilus & Celadon, occasum insontis amici
Lugebant pariter, verisq; obscura vicissim
Miscebant : ætate pares & versibus ambo
Insignes, ambo villosæ pellibus ursæ
Induti : Celadon venator, Myrtilus anceps.

Tum prior antiquos Celadon sic orsus amores.
CEL. Daphnis erat forma egregia, viridiq; juventa:
Venatore satus Daphnis, quem Sirmia mater
Ediderat partu, Mosæ flaventis ad undas.
Sed tunc Euganeis in collibus, humida circum
Flumina Medoaci, blandis dabat otia Musis.
Hic illum captantem auras, ripaq; jacentem,
Altorum cultrix nemorum pulcerrima Leuce
(Ut se fortè domum venatu lassa ferebat)
Viderat, & totis perceperat ossibus ignem.
Illam etiam spoliis prædæ sylvestris onustam
Respexit cupido formosus lumine Daphnis.
Nec mora, secreta Nymphæ se junxit in umbra,
Spemq; fidemq; ultrò dedit, & solatq; amantem est.
Felices ambo, propria hæc si gaudia vobis
Numine satorum stabili concessa fuissent.
Diis aliter visum est: externas quærere terras
Daphnis, & ignotas invisere cogitur urbes.
Ille quidem reditus spem corde fovebat inanem:
Sed vix dum gelidas à tergo liquerat Alpes,
Cum fessum ripaq; æstus fluvioq; levantem
A dulci longè patria, amplexuq; suorum,
Immanis torrens spumantibus obruit undis.
At trepida, & letho consumtum nescia Leuce,
Dum puer in sylvis, nudaq; inhumatus arena
Fluctibus ejectum jacet ac miserabile corpus,
Errabat sola infelix, elapsaq; dudum
Tempora dinumerans, sero te vespere Daphni,

Te-

Te redeunte die, tota te nocte vocabat.
Postremo furiis sævoq; evicta dolore
Impia crudeli dum funere nescit ademtum,
Absentis magico defigere carmine mentem.
Aggreditur, solvitq; comas, tunicamq; recingit;
Et flammis adolens altaria, nocte serena,
Unanimem tali compellat voce sororem.
Tolle urnam, & vivos circum flagrantibus aris
Sparge soror latices, nec flectas lumina retrò:
Æmonias (qvid enim lacrymis profecimus?) artes
Tentare est animus, niveis dum roscida bigis
Luna super terras currit, Sol aureus infra.
Spargite cæruleos mihi sulphura, spargite fumos.
Sulphuris in terræ gremio diffusilis humor
Gignitur, & rerum causas custodit, & ortus:
Idem etiam magicis tactas suffitibus herbas
Adjuvat, & cæcos, quibus uritur, implicat ignes.
Spargite cæruleos mihi sulphura, spargite fumos.
Ultrices diræ, quarum ad scelera impia numen
Excubat, & pavidis terrorem mentibus addit,
Diiq; animæq; omnes, qvas hic circumfluus aër
Continet, has audite preces: mea gaudia Daphnis
Discedens, famamq; tulit, niveumq; pudorem.
Vindice vos illum pœna multare vicissim,
Et desiderium, & lacrymas, & mortis amorem,
Erroresq; vagos, longosq; immittite luctus.
Spargite cæruleos mihi sulphura, spargite fumos.
Ut canis, æstivi rapido cum sideris æstu,

Verti-

Vertitur in rabiem, totis ſitis acta medullis
Extumulat pavidum, nulloq; extingvitur hauſtu:
Sic agat in furias Daphnim Deus ultor amantum.
Sic Daphnim Deus ultor agat, totumq; perurat,
Nec poſſit rapidos extinguere pectoris ignes,
Oceanum qvamvis, & cunctos ebibat amnes.
Spargite cæruleos mihi ſulphura, ſpargite fumos.
Hanc Laurum, veteri qvæ ſurgit proxima Myrto
Propter aqvam, & virides frondente cacumine ri-
Integit, hanc olim Laurum formoſus amavit (pas
Daphnis, & arboribus coluit magis omnib9 unam.
Hanc age cum ramis, foliisq;, & cortice, & ipſo
Stipite, falce recide, & ahena falce reciſam
Sterne ſolo inſultans, & dic: Mens Daphnidis iſtos,
Daphnidis occultos mens impia ſentiat ictus.
Spargite cæruleos mihi ſulphura, ſpargite fumos.
Parce, ſoror, nimium procedere, perfida neſcis
Spirituum arbitria: hac agedum conſide ſub ara
Dumq; ſedes, faciem thuris fuligine nigra
Obline, cras Aponi calidis purgaberis undis.
Spargite cæruleos mihi ſulphura, ſpargite fumos.
Ille per æthereas viden' ut Caper advolat auras?
Nigra Capro pellis, nigra cornua, lumina nigra,
Ingratum Caper ille vehet per inania Daphnin.
Spargite cæruleos mihi ſulphura, ſpargite fumos.
Jam terras cœlumq; inter nigrantia tranat
Nubila Daphnis io: ſed qvid ſtrepit aura? propin-
qvant
Daphnis adeſt: noſco ſtridorem, ſibila noſco,
Latra-

Latratusq; canum diros, gemitusq; luporum.
Spargite cæruleos mihi sulphura, spargite fumos.
Heu, qvod agam? en fœdatam vlua sine vestibus umbram,
Daphnidis extincti simulacrum flebile cerno.
Jam, jam Daphni dolet, jam tota mente, qvod egi
Pœnitet. Elysium testor, sedesq; beatas,
Qvas habitas: linqvam terras, manesq; sub imos
Te seqvar: I felix, cineriq; hæc perfer imago.
Parcite cæruleis jam sulphura, parcite fumis.
Finierat Celadon, lacrymis tum mœstus obortis
Myrtilus hæc contra facundo reddidit ore.
MYR. Nos qvoq; Daphni tuos obitq; tua tristia fata
Deflemus, tumulumq; tibi sacramus inanem
Montibus in patriis, mecum tua funera lugent
Naiades, & mœrens turbatis Cynthius vndis,
Notus & aucupibus, notus venantibus Acis,
Et matutinæ referunt lamenta volucres.
Occule luciferos Sol nubibus, occule vultus.
Dicebam: Fuge Daphni amnes, vaga flumina vita,
Sæpe rates fractas undis, & mortua vidi
Corpora cum tabulis, flentesq; in littore nautas.
Occule luciferos Sol nubibus, octule vultus.
Has sylvas Daphni, hos fontes, hæc rura colebas
Nobiscum, teneri dum flos adolesceret ævi.
Sic laqveis volucres mecum, fictisq; solebas
Fallere carminibus: felix, si celsa potentum
Atria sprevisses, sed non amor omnibus idem.
Occule luciferos Sol nubibus, occule vultus.

Aerum-

Ærumnas etiam multas, rerumq; procellas,
Et varias hominum fraudes, & frigora, & æstus
Pertulimus: testis pater Appenninus, & ingens
Larius, & Zephyros mare qvod prospectat & Austros,
Culminaq; haud unqvam nivib. viduata sub ipsum
Solstitium: extremo nunc me sub fine laborum
Deseris, & mecum veteres, sua cura, sodales
Amisso vitam socio experiuntur amaram.
Occule luciferos Sol nubibus, occule vultus.
O utinam fieri mutato corpore possem
Flos Hyacinthe tuus, solitasq; referre qverelas
Pallentes inter violas, & molle ligustrum.
Sic roseiveris prænuncius, orta onotannis
Sidera sub Tauri Majæq; Atlantides astrum
Daphnidis in viridi lugerem cespite mortem.
Occule luciferos Sol nubib9, occule vult9. (circum
Qvod possum, gemitu & lacrymis nemora omnia
Impleo, care puer, seu fuscas Hesperus umbras
Inducit terris, cœlo seu prævius alto
Lucifer auroram natalibus evocat undis.
Occule luciferos Sol nubibus, occule vultns.
Daphni tuæ semper laudes, doctiq; manebunt
Ingenii monumenta, nec ulla redarguet ætas.
Sis memor ô, cœliq; aliqua de parte sereni
Aspice nos, olim tecum tot casibus actos.
Jam tibi parta quies, superumq; beata freqventas
Concilia, & dulci permulces sidera cantu.
Illic excipies venientem lætus amicum,

Corpo-

Corporis exutum vinclis, & carcere cæco:
Astrorumq; simul vastos mirabitur orbes.
O qui complexus, ô quæ tum gaudia mentis,
Gaudia perpetuis non deficientia seclis.
Exere luciferos Sol nubibus, exere vultus.
Hæc illi vacua nuper Bolgange sub umbra
Cantabant, largoq; oculos humore rigabant,
Dulcis amicitiæ memores, veterumq; laborum.
Tu verò Heroum soboles, cui sanguine Daphnis
Junctus erat, sortemq; ultrò comes ibat in omnem,
Daphnis in adversis idem, rebusq; secundis:
Extincti viuam candenti è marmore duces
Effigiem, & templi sacrata sede locabis. (crum,
Spectandam, ut celebri prætexat honore sepul-
Æternum vestri monumentum, & pignus amoris.

IN NUPTIAS ILLUSTR.

„
„
„
„
„
„
„
Vos mihi quæ regum canitis connubia Musæ,
Longa quibus series ævi, quibus alta vetustas,

Fi-

Fidaq; perpetuæ cuſtodia credita famæ,
Dum Ducis egregii, poſt bella graveſq; labores,
Feiices celebro thalamos, vos numine veſtro
Aſpirate mihi : tuq; ô Jovis inclita proles
Alma Venus, ſi te Vatum mortalia tangunt
Carmina, ſi ſocii leges, & fœdera lecti,
Et teneros luſus, & mutua gaudia curas :
Huc ades, & cultos mecum ſpaciare per hortos,
Et vernas lege Diva roſas, ſponſæq; coronam
Texe novæ, qvalis fulgenti lucida cœlo
Aſtriferi nitidos intermicat ætheris ignes.
Tu verò juvenum Princeps, qvi fortibus armis
Et celebres factis proavos ingentibus æqvas,
Joannes Guilielme, tuas nc deſpice laudes.
Arma virosq; leges, & auorum clara tuorum
Nomira: jam rerum per ſumma cacumina tantùm
Ire juvat, ventura dies majora reſervat.
Vix matatino radios pnlcerrimus ortu
Lucifer extulerat, fauſto connubia portans
Sidere, læticia montes & celſa fremebant
Atria, qva vaſtas ad cœlum ſurgere moles
Aſpicit, & rapidis torrens Nicer æſtuat undis.
Forte ſub exorti tum primùm lumina Solis,
Herboſæ viridi reſidens in margine ripæ,
Agreſti ſtipnla veteres meditabar amores
Acidis, & ſtudio curas ſolabar inani :
Blandaq; vicina mecum Philomela ſub umbra
Argutis liqvidas mulcebat cantibus auras.

Cum

Cùm ſubitò (ecce) novem comitata ſororib. ultrò
Obvia Calliope ſeſe mihi læta ferebat.
Omnibus ex humeris citharæ, decor omnib. idem,
Perfuſis auro velatæ veſtibus omnes.
Ruta virens crines cingebat, & innuba Laurus.
Ibant & manibus Divæ per mutua junctis,
Hymen, ô Hymenæe, Hymen, Hymenæe canebant.
Mox ubi ſe viridi juxta chorus omnis in herba
Compoſuit, ſiluitq; amnis, ſiluêre volucres.
Ad me Calliope placidis ita vocibus uſa eſt:
Pone leves calamos, ſat avenæ ſibila montes
Et fontibus novêre ſacri, ſat ruſtica luſit
Fiſtula paſtorum curas: nunc inclita dices
Connubia, Heroumq; genus, Regumq; nepotes.
Ipſa ego te, ſponſi repetens ab origine ſtirpem,
Per genus, & proavos, & facta ingentia ducam
Antiqvæ ſobolis, qvam nulla æqvaverit ætas
Laudibus, immenſum qva Sol videt aureus orbem.
Hic labor, hoc ſtudium generoſis Vatibus eſto,
Aut ſuperûm laudes canere, aut præconia Regum,
Et memorem factis illuſtribus addere famam.
Dixit, & ornatum gemmis, auroq; volumen,
Cyaneoq; nitens Hyacintho, & Jaſpide glauca,
Explicuit gremio, matris venerabile donum
Mnemoſynes, cui longa dies & nomina curæ.
Illic alma Parens ſignarat, qvicqvid ab ævi
Principiis, geſtum memorabile, pace vel armis,
Qvod natos olim jubeant meminiſſe parentes.

Hoc

Hoc promens, repetensq; altæ monumenta sene-
Calliope. Fagi super impendentis in umbra, (ctæ
Talia labentes Nicri cantabat ad undas.
Vasta jacet, Boreæ flabris obnoxia tellus,
Dives agri, dives pecoris, quam spectat ab alto,
Tingere qvæ nunqvam cani se fluctibus audet
Oceani, stellis semper sitientibus Arctos.
Rhenus ad occasum, proniq; cubilia Solis
Terminat, Auroram Nabathæaq; regna Visurgis
Aspicit, hybernos Chauci, genus acre, Triones,
At latus, unde madens imbres denunciat Auster,
Obnobii claudunt montes, quibus arduus exit
Oceani refluas Amesis qui turbat arenas.
Illa parens regum tellus, quibus aspera cordi
Prælia semper erant, statuas lucosq; colebant
Relligione sacros prisca: sæpe horridus anguis,
Conscia sæpe vetus terrebat pectora quercus.
Præcipuè Heroas, pugnataq; bella canebant
Solennes epulas inter, magnaq; sepultos
Voce salutabant reges, animasq; vocabant.
Primus avis, proavisq; potens, & divite regno
SIGARDI pronepos, cum jam gens aurea passim
Christiadum, scelus elueret lustralibus undis,
Flore virens animi primum *Vitikindus* & ævi,
Defendit veteres ritus moremq; sacrorum,
Per caput & sanctam solitus jurare coronam,
Sideraq;, & patria cultos formidine lucos.
Mansuras, Divis quas ipse sacraverat, aras.

In

In clypeo sonipes excussis liber habenis
Emicat, & volucres hinnitu disjicit auras:
Arduus alta petens: juxtaq; insigne paternum,
Lucida dimidiæ sinuantur cornua Lunæ.
Postremò castris toties exutus & armis
Jam senior, vita donatus abivit, & ultrò
Abluit antiquæ tandem contagia culpæ,
Nudatum patrio tingens in gurgite corpus.
Ipsa salutiferi perfusum fluminis unda,
Cæsar ovans, dudum vindictæ oblitus & iræ,
Carolus excepit, gremioq; amplexus amico est,
Et vanos Diuum jussit dediscere cultus.
Lætitia fremuère urbes, septemq; Triones.
Usq; adeò pulcrum est, & nobile, parcere victis,
Pulcrius, indomitas quam bello subdere gentes.
Inde potens latè, qua Lupia, qua pater errat
Albis aquis, Albis ducibus, bello inclitus Albis,
Quaq; rapax tumido campos secat amne Visurgis,
Jura dedit, donec defectis uiribus æger,
Immemor annorum seniiq; oblitus, in hostem
Dum ruit, humanos finivit morte labores.
Filius hinc patrii generosus nominis hæres
Accepit veteres Mysos, terrasq; regendas,
Quas fluuio Plissina suo, quas utilis agris
Irrigat, & ripis formosus Elister amœnis,
Saxosumq; sonans spumanti gurgite Sala.
Inde vetus Sponso genus, & natalis origo,
Heroumq; domus se sanguine scindit ab uno,

Heroum

Heroum, qvi præſtantes virtute, ſub Arcto
Juſtitia rigidas gentes, & legibus æqvis
Formarunt primi, vitæ melioris ad uſum.
Hinc qvoq; (ſi fratrum ſpectes à ſangvine ſtirpem) (aram.
Magnus Otho, date thura Duces, date manibus
Hic vir, hic eſt, cui veſter honos, cui gloria veſtra,
Imperiiq; decus fuit, & Germania curæ.
Proximus innocua populos in pace regebat,
Maxima cui Divûm cultus abolere profanos
Cura fuit, cenſusq; ideò TIAGRINUS & ædes
Conſtituit, magniq; adiecit ponderis aurum
Illis, qvi genus indocile ad meliora vocantes
Sacra propagarent, lumenq; errantibus eſſent.
Filius huic, primis nemorum ſtudioſq ab annis,
Venatu tolerare famem, brumamq; ſolebat,
Cornigeros TETMARUS agens in retia cervos,
Impiger ex humeris pharetran ſuſpendit & ar- (cum,
Solertiq; altos cingens indagine montes
Militat in ſylvis, rigidisq; iraſcitur urſis,
Et foribus rictus præfigit, & horrida terga.
Scilicet ut melius (ſi qvando bella vocarent)
Imbribus Hercynioq; gelu duratus & æſtu,
Militiæ poſſet duros perferre labores.
Suſcipit hinc natus rerum *Theodricus* habenas,
Marte potens, gleba qvi pingues ubere campos
Finibus adjecit patriæ, qva flumine pulcro
Advena fœcundos Vnſter perlabitur agros:
Unde etiam ſeri titulum geſſere minores.

Nec

Nec Dedo minus enſe bonus, minus utilis haſta,
Nec belli tenuit qviſqvam Dux aptius artes:
Sive opus extenſos metiri caſtra per agros,
Seu faciem pugnæ componere, ſive profundas
Subſidio foſſas poſitis deducere caſtris,
Defenſura cavas & propugnacula foſſas.
Hunc conſanguineo pro Cæſare bella gerentem
Mirati ſtupuêre Hunni, ſtupuêre nivoſum
Potantes Tanaïn, gelidiq; Boryſthenis undas:
Omnia cum ferro tumidi prope flumina Salæ
Sterneret, ac caperent vix mœſta cadavera ripæ.
Nec minus in clarum famæ proceſſit honorem,
Nomen avi referens Natus, qvi patre ſub ipſo
Prima rudimenta, & orimos exegerat annos:
Virtutem primo patris miratus ab ævo.
Appenninigenam fractis hic cornibus Arnum
Contudit, exultans campo bellator aperto:
Sicut ubi torrens, nymbis hyemalibus auctus,
Spumeus, & fervens, inſano vortice ſylvas
Proruit, & meſſes latè populatur, & agros.
Nec te magne Thimo tacitum, natumq; reliqvam
Conradum, inſignem fama & præſtantibus armis,
Marchi qvi primus tecum Miſneïdos oræ
Victor in Eridani campo, atq; inſubribus arvis
Auſonium multo complevit ſanguine Tybrim.
Hinc Otho civili præcinctus tempora qvercu,
Ditibus argenti venis, æriſq; ſcatentem
Fribergam, & Phylires excelſam condidit urbem,

Inter Hamadryadas Phylire formosa sorores
Venatrix, timidas illis in montibus olim
Insidiis cursuq; feras agitare solebat,
Et gravidam jaculis pharetram, tremulumq; gerebat
Missile, quod liquidas ad Elistri creverat undas.
Sed cum virginei spolium & decus omne pudoris,
Dum jacet, & dulcem carpit secura quietem,
Impius in sola pastor convalle tulisset:
Non ultra potuit tantum perferre dolorem
Tabentesq; artus anima indignata reliquit,
Alma sed insontis casum miserata puellæ
Excepit gremio tellus, tiliamq; virentem
Ossibus ex Phylires, liquidas emisit in auras.
Nunc quoq; per ripas illic, per mollia crescunt
Prata per excultos tiliæ, sub mœnibus hortos:
Sæpius & gratas præbent venantibus umbras.
Unde urbi indigenæ nomen fecêre priores,
Inclitus hinc atavi Theodricus nomen adeptus,
Infelix medici bibit atrum fraude venenum.
Natus adhuc primo cum vix pubesceret ævo.
Henricus, qui post factis clarissimus, omnes
Egregia proavos post se virtute reliquit,
Illi, cum superas liquisset avunculus auras,
Conditus extrema Ludovicus Japygis ora,
Pro meritis, Cæsar Fridericus, tradidit acres
Tyrigetum populos, titulisq; illustribus auxit.
Belliger hic clarum certamen equestribus armis
Edidit, effigiem belli: clangore tubarum

Antra

Antra resultabant latè, montesq; fremebant,
Vincentum plausu pariter, sonituq; cadentum.
Campus erat, virides claudebant undiq; sylvæ,
Aureaq; in medio diffusis frondibus arbor
Stabat, erant aurum rami, folia aurea ramis,
Aureus & cortex, at sola argentea radix.
Hanc circum nitidi, precium victoribus, enses,
Et galeæ insignes cristis, viridesq; coronæ,
Nec minus Herouni, per gramina mollia, natæ
Candida virgineo quatientes corpora motu
Ducebant choreas, quas inter filia magni
Cæsaris, in thalamos *Alberti* ducitur uxor
Margaris, inde sati *Fridericus*, & acer in armis
Solennes ferro cæsus *Tizmannus* ad aras.
Sed profugæ luctus genitricis, & horrida bella,
Dum genitor natos justas irritat ad iras,
(Ah nimium teneri stimulis agitatus amoris)
Mens reticere mihi. Sprea sanguine fluxit, & ingens
Albis, & Herciniis quæcunq; è montibus orta,
Tyrigetum pingues humectant flumina campos.
Numinis ejusdem, ne dira licentia ferri
Impunita foret, latronum *Filius* arces
Diruit, hinc *Natus*, sublato patre, rebellem
Ultus avos, multis implevit cædibus urbem,
Corniger undoso qua flumine stagnat Hiëras,
Captaq; ferratis affixit postibus arma.
Quartus in adversos ultricia signa Bohemos,
Pro decore Imperii, generosi Cæsaris ultor,

Movit, & insigni FRIDERICUS laude potius
Saxonici clarum tulit Ælectoris honorem.
Ille etiam curans tranquillæ commoda pacis,
Hospitium nobis ad Ælistri condidit amnem,
Ægregiasq; animos preciis accendit ad artes.
Proximus Arctoï spoliis Aquilonis onustus,
Imposuit leges domito FRIDERICUS Havelo.
Tu quoq; conjugio felix, & prole nepotum
Cassubios, ÆRNESTE, sagittiferosq; Polonos,
Odera piscoso qva labitur amne, coërces.
FILIUS armorum patriam formidine solvit,
Felicesq; petens Solymos, & nobile bustum,
Vicit iter durum pelagi, & Curetida terram,
Gortynam, Gnosonq;, & in æqvore Cyclades alto,
Phœbeamq; Rhodon vidit, gentesq; beatas
Phœnicum, Syriæq; hortos qua Tigris, & ingens
Labitur Æuphrates, celo gratissimus amnis.
Ille etiam dubiis magno pro Cæsare rebus,
Threïcium Austriacis avertit mœnibus hostem,
Regnatorem Asiæ, Thracasq; Getasq; trahentem,
Et magnas Orientis opes, cum Norica saxa
Et tremerent late Nymphæ Istrides, Istrides undæ.
Illum Aponus vidit, celsæq; Antenoris arces,
In ferrum ruere, & Patavi prosternere muros.
Ensifer hinc, nec fratre minor pietate, nec armis
JOANNES motus compesenit acer agrestes:
Qvaliter Arctois Borcas emissus ab antris,
Atra serenato depellit nubila celo.

Stre-

Strenuus hinc per ſaxa ruens, per tela, per ignes,
Inſiliit primus Regalis mœnibus Albæ,
Inq; expugnato clarus ſtetit aggere victor,
Sublimes tollens aqvilas : auſisq; potius
Muralem qverna meruit de fronde coronam.
His ducibus celo caput extulit aurea, quæ nunc
Relligio totum ſincera perambulat orbem,
Quam probitas, & ſancta fides comitantur euntem
Et concors pietas jus omnibus una miniſtrat.
At nomen qva voce tuum, quove inclita facta
Carmine, *Joannes Friderice* binominis, æquem?
Quæ tibi non laudes, qvi non debentur honores?
Pectore magnanimo ſimilem tibi nulla tulerunt
Secula, nulla ferent, dulcem profundere vitam,
Et fortem, cara pro relligione, cruorem
Promptus eras, mortemq; Dei pro laude paciſci:
Commotus nunqvam præſentis imagine lethi,
Scilicet accenſum divino pectus amore,
Non vis ulla domat ferri, non fulminis ignes.
Qualiter ipſe pater vitæ, Sol lucis orīgo,
Sol oculus mundi, cæca ſub nube laborat
Interdum, victis mox nubibus aureus exit.
Macte animo Germano, & macte ingentibus auſis,
Sic etiam dilecte Deo, quod mille probatum
Tentatumq; modis, reducem fidiſſima Conjunx
Vidit, & in cara Domini cervice pependit
Ante obitus : dulcem nati videre parentem.
Et nunc in patria cineres tellure qvieſcunt,

At veteres inter proavos, cœtusq; piorum,
Spiritus exultat liber, fruiturq; perenni
Lætitia æternisq; bonis discrimina pensat.
Salue magne pater patriæ, tua gloria vivet,
Donec in occasum roseo volventur ab ortu
Sidera, donec erunt latices Aganippidos undæ.
Inde satus, fausto conjungit fœdere tædas
Sponsus, & illustres thalamos jam nubilis intrat
Dorotheæ, primosq; parat conjungere somnos:
Amborumq; Dei votis concordib. astant. (tat,
Jamq; tubæ cantusq; sonant, domo ampla resul-
Lætitiaq; fremant rupes. Surgamus, & altam,
Aonides, Soceri scandamus Principis arcem.
Ut cum rorifero noctem produxerit ortu
Hesperus ad sponsæ thalamos Hymenæa canamo,
Felicis bona signa thori, & nubentibus omen.
Dixerat, & variis lento de vimine textos
Floribus implebant calathos, ætatibus omnes,
Et facie, cultuq; pares: urbemq; petebant.
Tu mihi nunc, qui culta riga spumantib. undis
Arva Nicer (nam te veterum nec facta parentum
Nobile nec patriæ decus ignorare putandum est)
Quandoquidem hos prima colles ab origine mun-
Alluis, ipse genus sponsæ, patrumq; recense. (di
Facta, Ducesq; atavos, prohibeq; silentia famæ.
Nam potest, & gratum est canere, & meminisse voluptas.
Sic Remisus, Jaxusq;, tuum sic Coccius amnem
Augeat, & salices crescant tibi semper & Alni,

Qua

Qua virides inter Rheno confunderis umbras.
Sic ego: cum lato madidum caput extulit antro
Cæruleus Nicer, & molli viridantia musco
Tempora concutiens. His orti montibus (inquit)
(Dicam equidem, nec te longo sermone morabor)
Magnanimi Heroës quondam, melioribus annis,
Fundarunt urbes populis, gentemq; comatam
Justiciam docuêre suos, nec temnere Divos.
Splendida sed tenebris involuit gesta vetustas,
Quandoquidem, quamvis populis opibusq; poten-
Sacrorum dulci caruerunt munere Vatum: (tes,
Munere, quod fragilis perfunctos munere vitæ
Diis æquat superis, & læto nectare pascit.
At Sponsæ (si prima domus quæratur origo)
Inclita Francorum series à sangvine manat,
Et genus, & generis prisci numerosa propago,
Sed neq; tum colles istos, non ista colebant
Rura atavi: sed qua fluvio premit arva sonanti
Danubius, quaq; Herciniis è montibus orti
Danubium supra Nabus, & Regus influit infra,
Quaq; vides solem labens Pegnesse cadentem.
Maximus hinc ortus, sævos *Leutholdus* in Ugros
Et peditum cuneos, & turmas duxit equestres,
Claraq; transcendens majorum facta suorum,
Infestum domitis compescuit hostibus Istrum,
Pannonioq; Anasi complevit sanguine flumen
Aureus in clypeo veterum gestamen avorum
Ardebat, vastosq; leo pandebat hiatus.

Nec minor *Arnolphus* bello, nec *Natus* eodem
Nomine, Diis animæ ſimiles: vidi horrida vidi
Prælia, cùm pulcram peterent per vulnera mor-
Tranquillos in pace obitus, ignobile fatum (tem.
Credebat, patriisq; Hunnos ducebat ab oris,
Spe regni profugus flagrans WERNERUS aviti.
Primus in adverſos ibat, pugnamq; ciebat,
Quoq; loco melius ducendus & ordine miles
Noverat, & magnis aderat vis inſita verbis.
Quas Lycus in ripa pugnas, quæ funera denſis
Stragibus arctatus vidit? qva dividit acres
Vindelinos, Rhetosq;, quot intumulata virorum
Corpora Danubii ſpumantibus intulit undis?
Qualiter in tranco flammas ſi fortè relinquit
Ille domum ſero rediens jam veſpere paſtor,
Tempeſtas ſi nocte, Euris ſurgentibus, orta eſt:
Omnia pervolitant ignes, it turbine vaſto
Flammarum torrens ſylvas effuſus in altas.
Ordine tres illis vos ſucceſſiſtis OTHONES.
Præſtantes animis, factisq; illuſtribus omnes.
Quos inter ſævis excellens tertius armis,
Per varios pelagi tractus per inhoſpita longè
Littora, littoribus multum diſtantia noſtris,
Sideribus, remisq;, aurisq; ferentibus uſus,
Europa è magna multis comitantibus Heros,
Antiquos petiit Solymos, Cedroq; virentes
Palmiferi colles Lybani: tunc inclita rurſus
Acta ſub Imperium Solyme: tunc Aſcalo, & ipſa

Qvæ

Qvæ toties Votum celebratur carmine, Bethle,
Gnaq;, & æquoreis Jope quæ tonditur undis,
Hadriacis Jope ſtatio gratiſſima nautis.
Felices animæ, quibus illo tempore naſci
Contigit,& magnum pariter dare vela per æquor,
Et fortunatum ſpoliis decorare ſepulchrum.
Crediderim colles ipſos, montemq; Sionis
Ardua gratantes jactaſſe ad ſidera voces,
Cum jam victor ovans, poſitis exercitus armis,
Procumbens ſanctæ pronus daret oſcula terræ:
Fulgeretq; crucis paſſim venerabile ſignum.
Poſt OTHO pacis amans, & Maximus alter ab illo
Filius, inſignis bellator, Japyge fertur
Per Latium, ſublimis eqvo, qva turbidus auro
Abdua, qva lento fœcundos agmine campos
Ollius, Heſperidumq; ſecat regnator aquarum
Fridanus, tenera qua cinctus arundine crinem
Mincius & rapidis Atheſis deuoluitur undis,
Amnis, & à Gallis Italum qui ſeparat orbem.
Primus in hos, ſexti genitor *Ludovicus* Othonis
Migravit colles *Septem* vir, & ampla reliqvit
Et *Nato*, & ſeris regnanda Nepotibus arua.
Inſignes ambo virtutibus, artibus ambo
Pacis,& armorum ſtudiis. Pater indole gaudet
Egregiæ ſobolis, nec diſplicet amulæ Virtus.
Tunc ducibus primum claris habitabile ſaxum
Hoc fuit, extremæ quod deſuper imminet urbi.
Hic ortus *Ludovice* tuos, cui maxima rerum

Verborumq; fides, hic incunabula vidi,
Rudolphi, primos hic egit *Filius* annos,
Sæpe fatigatis sudorem flumine puro
Absterſi, foviq; undis, & lenibus auris:
Seu ſpolia ampla domum bellando parta referrent
Seu nemorum exuviis læti prædaq; ferarum,
Venatu ſera feſſi jam nocte redirent,
Munera per ripas ſemper ſuſpenſa videbam,
Setigerum caput aut apri, vel cornua cervi.
Hinc pius Aoniis Dux condidit atria Muſis,
Perculſus dulci *Rupertus* laudis amore.
O decus, ò nullos unquam reticende per annos,
Fortunate ſenex. Tibi ſe debere fatetur
Poſteritas, Patriam tu doctis artibus ornas,
Ingenuosq; jubes regnare per oppida mores.
Ante vagis tantum notus paſtoribus ibam
Pèr nemora, & valles, piger atq; ignobilis amnis.
Nunc Rhenus mihi, nunc Viadrus, nunc Iſter, & Albis
Aſſurgunt, cinctæq; hederæ mea flumina circum.
Aonides choreas agitant, & carmina dicunt:
Inflat & argutas non Tityrus unus avenas.
Fortunate ſenex cœlo tua nomina tollit
Gloria, quæ latis mundum circumvolat alis.
At niſi munificus Muſis ea dona dediſſes,
Heu quibus in tenebris, quanta ſub nocte jaceres
Flebilis, & penitus caligine conſitus atra?
Illi etiam Nemetum in campis, bis munere Divûm
Uno parta die magno victoria plauſu;

Bis

Bis victi cecidere hostes, ac terga dedere.
Imperii post hæc nato concessa potestas,
Qui templis urbem, donisq; ingentibus auxit,
Musarumq; fovens hortos, & amœna vireta,
Dulcia *Rupertus* patriis dedit ocia terris.
Et Latio tandem Tuscoq; reversus ab Arno,
Longævus curis mortalibus exuit annos.
At proavos superans, sceptris adjunxit avitis
Dotales *Stephanus* populos, gentesq; feroces.
Qui Lutram, Saramq; bibunt, qvorumq; per agros
Spnmeus undoso declives gurgite cursus
Extendit Rhenus, Vogesiq; è rupibus ortus
Jam dominum pronoRhenum petit amneMosella.
Hinc patri *Friderice* subis, natumq; relinquis
Joannem, cujus de sanguine dictus eodem
Nomine tranquillas ad pacis idoneus artes
Filius, implevit magnum virtutibus orbem,
Justitiæ cultor, jurisq; minister, & æqui.
Ipsa suas illi natura recluserat omnes
Dives opes, cœlumq; animo sublimis adibat;
Stellarumq; obitus, stellarum noverat ortus,
Atq; salutiferas propriis cum viribus herbas,
Quid sterile Asplenum, quid læta Syrimbria possint,
Et menthæ virides, & odoriferæ Calaminthæ.
Buglossusq;, Thymusq; Lupiq; volubile gramen,
Jamq; decem numerans actæ sexennia vitæ,
Bis tribus adjectis, robustus, & integer annis,
Cœlestes petiit sedes, quas luce perenni

Æternis, Opifex rerum fulgoribus implet.
Is denſis obſcura ducum monumenta tenebris
Eruit & totam ſtirpem, laudesq; parentum.
Ire per ætates juſſit, perq; ora nepotum.
Nunc virides Rheni tractus, ſortitus honores
Et titulos atavi (ſic arbiter omnia juſtus
Tempora diſpenſat Deus, atq; in priſtina reddit
Sæpe ducum ſobolem) magna cum laude gubernat
Inclitus, & populo *Fridericus* amabilis omni.
Cujus, adhuc annis vix pubeſcentibus, Iſter
Signa ſagittiferæ contra Mahometica Lunæ
Egregie ſpeciem virtutis, & indolis altæ
Primitias vidit, bellatricemq; ferentem
Per turmas aqvilam, validæ ſtupuêre cohortes.
Macte rudimentis Princeps, Dii noſtra tuentes
Præſidia, ad veterum te ſervavêre parentum
Imperia, & placida terras in pace regendas,
Annorumq; moras fortuna beatior implet.
Qui vigor ingenii? quantus ſub pectore feruet
Doctrinæ cœleſtis amor? quam vita ſuorum
Cura dacis? doctis quæ confert præmia Muſis?
At toruos ſi quando ruit Venator in Apros,
Et belli ſimulacra ciet, ſyluasq; fatigat,
Arduus alipedem curru Phaëthontis inuſtum,
Herbifer eduxit, quem Mincius Andide ſylua
Concitat, ille volans argutas erigit aures
Sublata ceruice, ſimul pernicior Euro
Crura per apricos glomerat ſinuantia campos.

At

At natos, clari ſpectantes facta parentis
Splendida magnificæ ſtimulat Virtutis imago,
Speq; nova tanti lætatur ſanguinis orbis.
Hoc genus, hæc Sponſæ vetus eſt nubentis origo.
Sed jam ſol rapidos ſuperingerit altior æſtus,
Dum loquor, & tactus radiis incanduit aër,
Jamq; tubæ, lituiq; ſonant: procedit ad aras
Sponſus, ut auſpicibus firmet connubia Diuis,
Finierat Nicer, inverſa tum protinus urna
Inſonuit, fluctusq; nouos emſit aquarum,
Cornuaq; occuluit vitreis taurina ſub undis,
Cornua flumineo ſemper viridantia muſco.
Fortunati ambo, natiq; faventibus aſtris,
Et virgo felix, & felix virgine Princeps,
En virides Titan meliori lumine montes
Irrigat, & cœlum diſcuſſa nube ſerenat,
Et placidæ geminis gratantur amantibus auræ.
Ipſa novos cellus ſubmittit Dædala flores,
Flexibus hederas, & Eryngion utile nuptis,
Cujus flore Phaon, & noto germinis uſu,
Dulcia promeruit Permiſſidos oſcula Sapphus,
Secretum ſpinis qvod Eryngion horret acutis.
Hos nova ſeu gremino fert Sponſa, vel occulit ore,
Illicitos nunqvam conjunx meditatur amores.
Qualis in exculto genialis Amaracus horto,
Candida fontanis quam nutrit Humadryas undis,
Surgit, & ambroſum latè diffundit odorem:
Sic teneræ vernans jucundo flore juventæ.

Sponsa nitet, mollesq; rosas, & lilia vincit.
Lucidus è collo gemmæ Garamantidos ignis
Irradiat vastisq; pedes descendit ad imos
Aurea flaventes tegit aurea vitta capillos,
Aureaq; è niveo redimicula pectore pendent.
Sed pudor, & probitas,& honestas regia cultum
Vincit & exuperat castæ reverentia famæ.
Sordet enim nisi conjunctum virtutibus aurum.
Illius aspectu flagrantia lumina pascit
Sponsus, in æstivo rapidus quem pulvere Mosa
Somiaq; Heroum multa inter millia vidit.
Dum fretus superis & equo sublimis & hasta
Fulminat, & magno ductor clamore triumphat;
Lætaq; tranquillo circumspicit agmina vultu:
Qualiter auroræ formoso prævius astro
Lucifer ardentes nitidissimus explicat ignes.
Jamq; dies jucunda fuit, simul ordine longo
Accumbunt epulis proceres, lucemq; morantem
Mollibus aut choreis, vario certamine condunt.
Et jam permensus cœlum Sol occidit, & jam
Montibus è celsis majores suscitat umbras,
Obscuratq; ignes stellarum Luna minores.
Ecce leves atro crepitantes sulphure flammæ
Subvolitant,rutiliq; petunt spacia ardua cœli,
Et rapidis vacuas implent stridoribus auras,
Sit felix faustumq; precor: Jovis ales ab alto
Præpetibus plaudit pennis, omenq; secundat
Alituum regina,Pater dum magnus euntem

In

In thalamos ducit natam, fortiq; paventem
(Ante Deos sacrumq; thori præfatus honorem)
Commendat genero, lectoq; relinquit in uno
Conjunctos, dictisq; ambos solatur amicis.
Interea lauro cinctæ Parnassiide Musæ,
Ante fores, dulces in gyrum fundere cantus
Incipiunt, princepsq; chori, comitumq; suarum
Calliope doctas præcedit voce sorores.
Lucidus Oceani natales Hesperus undas
Deseruit, tædas portans, noctemq; jugalem.
Jam caris Domini formosa quiescit in ulnis
Dorothee, primos jungens cum conjuge somnos.
At vos innuptæ, quibus intemeratus amantum
Lectus, & interior thalami concredita cura est.
Omnibus, votisq; bonis, cantuq; secutæ,
Dulcis ut æterno concordia fœdere regnet,
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô HymenæeHymen, ades ô Hymenæe.
Qualiter igne Jovis si tacta exaruit Ulmus
Nuda, carens foliis, culti jam dedecus horti,
Non teneras ultra vites, non amplius uvas
Educat: at rapidi nisi fulminis ira fuisset
Curvaret gravidos autumni munere ramos.
Innuba sic, vita dum cœlibe virgo senescit,
Ætatis roseum videt emarcescere florem:
At caro desponsa viro, sua pignora mater,
Spectat, & optato genitricis nomine gaudet,
Et thalami cunctos solatur honore labores.

Hymen.

Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
Dicimus ô HymenæeHymen,ades ô Hymenæe,
Fallimur? an nostras vox turturis attigit aures?
Turtur amans sola gemit & suspirat in umbra.
Huc ades ô mea vita, tibi sub montibus istis
Oscula & amplexus, secretaq; gaudia servo,
Partheniiq; udo jam flos tibi crescit in antro.
Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterata puellæ.
Dicimus ô HymenæeHymen,ades ô Hymenæe,
Vos auræ, qvarum domus est circumfluus aër,
Solis & umbrarum comites, dum Syrius ardet
Fervidus, & certas populis denunciat iras:
Vos lenite graves gelidis afflatibus æstus,
Et vitium cœli, sævosq; avertite morbos,
Et facite ut nostris propria hæc sint gaudia terris.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen,ades ôHymenæe.
Tu qvoq; sancte senex, cujus jam lumen in ortu
Cernimus, insignemq; astris fulgentibus arcum,
Quandoquidem succos fama est te nosse salubres,
Herbarumq; parens monstravit Phylliris usum:
Quære novos flores, nuptæ qvibus inclita Mater
Amissum reparet pulso languore vigorem.
Dicimus ô HymenæeHymen,ades ô Hymenæe.
Estne una, dulcemq; una producite vitam
Dum licet, ac parvos Aviæ transmittite natos.
Omnia nam magno labentia sidera cœlo
Venturos meliora jubent sperare nepotes.

Hy-

Hymen, ô Hymenæe, Hymen interate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Forunate ſocer, novus alti ſanguinis ordo
Naſcitur, unde genus maternum ſera propago
Francorum primo regum numerabit ab ortu.
Vos quoq; felices Socero, ſublimia fratres
Pectora, quos ſtabili jungit concordia nexu:
Sic (reor) alterna quem morte redemit ab orco,
Tyndarides, fratrem dilexit Caſtora, Pollux.
Vos colimus, veſtramq; Duces, dum cuncta relinqvunt,
Imploramus opem: nec vos juviſſe pigebit,
Quas veſtri fovêre Atavi, fovêre parentes,
Præcipuè dignas magnis Heroibus artes.
Acre ſed imprimis ſtudium pietatis, & almæ
Juſticiæ, paciſq; bonæ ſub pectore regnet.
Quandoquidem curam Princeps ubi negligit æqv
Sunt mutæ veluti defuncta cadavera leges.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Nox ruit & placidos jam ſuadent ſidera ſomnos,
Jam ſecura quies lethea papavera qvaſſans,
Aëris immenſi tractus, & proxima Lunæ
Regna tenet, pelagiq; ſinus, terrasq; jacentes,
Et volucrum genus omne ſilet, genus omne feraſum,
Somniaq; humanas ſolantur inania curas.
Ipſa ſibi cultis nova Nupta videtur in hortis,
Mollib. aut pratis, aut in convalle virenti,
Narciſſum, Thymbramq;, roſaſq;, & molle Ligu-

Et

Et mites uvas, & suavè rubentia mala
Carpere, dilecto jucundum munus amanti,
Candidaq; aureolæ contexere lilia calthæ.
Hymen, ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
O quoties tibi nocte virum, seu bella gerentem
Horrida, seu deserta feras per luſtra ſequentem
Afferet in ſomnis, volitansq; reducet imago.
Ille ſed in caſtris, nudove ſub æthere pernox
Aſpera robusto geſtat venabula collo.
Hymen, ô Hymenæe Hymen, iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe,
Dulcis Hymen, tibi nos meritos largimur honores,
Et nomen laudesq; tuas celebramus ovantes.
Salve magne Nicer, populi lætentur, & urbes,
Et gelidæ valles, gelidiq; in vallibus amnes,
Quos tantis ſuperûm Rector dignatur alumnis.
Jam liqvidum ſacro commixtum Nectare rorem
Sudabit cœlum, ſudabunt balſama ſylvæ,
Pinguia flaveſcent injuſſis meſſibus arva,
Nataq; ſponte ſua mirabitur hordea tellus.
Hymen ô Hymenæe, Hymen iterate puellæ.
Dicimus ô Hymenæe Hymen, ades ô Hymenæe.
Finierant, ſonuère novis applauſibus arces:
Dorotheen rupes ipſæ, vaga flumine clamant
Dorotheen, juga *Dorotheen* vicina remittunt.
Tum Pater omnipotens ter ab æthere Juppiter alto
Intonuit, cœloq; dedit bona ſigna ſereno.
Altaq; per celſos ſunt facta ſilentia montes.

Ela-

Elegia.

DE FRUCTU DANIELIS.

QVi tibi dulcisonos Jessæa poëmata Psalmos
Ante sacra cecinit lector amice lyra.
Idem veridici Danielis scripta Prophetæ
Reddidit ecce novis splendidiora modis.
Exposuit studiis ornavit & omnia summis,
Carmine temporibus conveniente suis.
Innumeri toto venduntur in orbe libelli,
Optima de multis qvi legit ille sapit.
Hunc tu qvisqvis amas felicem ducere vitam,
Nosse tui vatem muneris esse puta.
Aspice fatorum seriem, lege facta priorum,
Facta imitanda bonis, facta cavenda malis.
Sive sub Assyriis qvæ dicit gesta monarchis,
Atq; sub imperio Persia prisca tuo.
Sive per egregias cum Græcia floruit artes,
Romaq; totius cùm caput orbis erat.
Hic sapit in sanctis qvi dum videt illa Prophetis
Discit inexperto damna cavere malo.
Nec modò præteritum, si vis qvoq; scire futurum,
Repperies certa cuncta relata fide.
Qvæ fuerint, alios qvæ sint ventura per annos,
Qvid tulerit præsens, qvid ferat hora seqvens.

Digna

Digna die dices, & nostri moribus ævi,
Carmina successus mox habitura suos.
Ultima quæ memorant perituri tempora mundi,
Heu nimium votis tempora tarda piis.
Felix hic nimium qui crimine liber ab omni
Non feci Domino dicere prava potest.
Stabit ad horrendum sibi conscius ille tribunal,
Ibit & æthereum justificatus iter.
Legifer ex æquo cunctis ubi præmia Christus,
Digna dabit firma quæ meruere fide.
Cum dicet, procul ite mali, discedite iniqui,
Ad Phlegethontæas quas sitiistis aquas.
Vos autem mea vita boni, vos sidera mecum
Scandite, cœlestes gaudia vera domos.
Hæc Dominus dicet, cùm tempora debita tandem
Quæ tibi constituunt carmina vatis, erunt.
Quisquis es his monitus respisce, relinque quod ob-
Hoc satis est pravum desere, quare bonum. (stat,
Carpe viam sancti quam monstravere Prophetæ,
Hinc veniet velis mitior aura tuis.
Hinc pete defessæ solatia dulcia menti,
Ut curis misero tempore liber eas.
Qualiter addictos degas feliciter annos,
Vivitur humano donec in exilio.
Multa quidem nostri sunt magna pericula secli,
Tristis ubiq; furor regnat ubiq; timor.
Ut taceam reliquos nimium quos dicere casus,
Ultimus accedit Turcia dura pudor.

Turcia

Turcia Germanæ pavor, atq; infamia terræ,
Non leve Pannonitis CHRISTI *colisq; malum.*
Hæc furit in nostris paucis prohibentibus oris,
Excitat & varios turba prophana metus.
Multa licet faciat, licet omnia sæva minetur,
Si poteris Domino credere, tutus eris.
Turco tempus erit fractis ubi barbarus armis
Ante triumphantes Cæsaris ibit eqvos.
Advenit damno qvi nos servabit ab omni,
Digna dabit justis præmia digna malis.
Non sinet hic mundum propria qvi morte redemit,
Fiat ut hoc rigidis tempore præda Getis.
Scit Deus hæc, Scythico sed qvod tentamur ab hoste,
Per mala constantem sic probat ille fidem.
Turce qvid exultas? Audacia te tua perdet,
Te rex qvi poterit vincere major adest.
Qvod magis ut credam Danielis scripta Prophetæ
Multa movent, paucis hîc memoranda modis.
Regna vide qvatuor sub imagine picta ferarum,
Scilicet Assyrios vult fera prima duces.
Altera Persiacis est assimulata Monarchis,
Tertiaq; imperio Græcia magna tuo.
Qvarta refert vestros Latialis turba tyrannos
Bellua, Romanum qvi tenuére solum.
Illius exiguum cornu sub fronte renatum,
Fallor, an hoc duros indicat esse Getas?
Qvæ facies vultusq; feræ, qvæ lingva minæq;?
Qvales, blasphemos, qvos jacit ore sonos?

Nun-

Nunqvid & hæc nostris nimium jam cognita seclis
A vero cupiunt nos removere Deo?
Hos prohibete dolos reges, hoc frangite cornu,
Imperio qvorum terra regenda, viri.
A Scythico vobis promittitur hoste triumphus,
Illa Dei vox est, credite, vera canit.
Talia multa docent Danielis carmina vatis,
Plurima nunc illo non referenda loco.
Talia cum doceant Danielis *carmina vatis,*
Perlege deposita lector amice mora.
Multa sub exemplis poteris qvoq; discere sanctis,
Qua possunt vitæ consiluisse tuæ.
Si tibi sollicita jactatur puppis ab unda,
Hic etiam portum qvem mediteris habes.
Pressus es erumnis, & sorte gravaris iniqva,
Hinc spera certam qua releveris opem.
Distrahit innumeris sæpe mens conscia curis,
Ille tibi curas eximet, ille metum.
Ah nimium fatui prava qvæ crimina mentis
Humana tolli posse putatis ope.
Perlege qvicunq; es veterum solatia vatum,
Hinc animo veniet certa medela tuo,
Sed redeo unde fui primùm digressus, & oro
Ut capias placida lector amate manu.
Ut capias læto tibi reddita carmina vultu,
Qvondam præsago vaticinata viro.
Cedant arma sacro, concedant tempora verbo,
Inq; via Domini vesper & ortus eant.

Un-

Unde venit Boreas, Zephyrus qva spirat & Eurus,
Turbidus æthereis nubibus unde Notus.
Hac ratione qvemat cœlestia numina flecti,
Fiet & irati mitior ira Dei.

EPICEDION IN OBITUM D. Casparis Crucigeri.

SUmme pater, sobolesq; patris, qviq; halitq; afflas
Omnia, qvi firmant nos, ab utroq; venis :
Te precor, ô rerum, Deus in tribus arbiter unus,
An modus assiduis fletibus ullus erit.
Parce nec omnino dele tua jussa colentes,
Lenis ades populo, sævus in hoste tuo.
Jamq; fatigatis luctu, serieq; malorum :
Si precibus castis flecteris, adfer opem.
Naufragii serva tabulas, & fragmina nostri,
Et laceris aliqva da statione frui.
Nam qvibus, hei, vario discrimine fluctibus acti,
Marte fero patriam depopulante sumus?
Sqvallet adhuc tellus bello vastata cruento,
Et latè gelido rura sub axe vacant.
Nec satis infandos (dolor hei meminisse) labores :
Nec fuit exilii damna tulisse, satis.
Tunc qvoq; lethiferis piger æstibus aer abundans
Intulit hac populis in regione luem.
Fortibus & magnas exhausit civibus urbes,
Parcaq; relliqvias hostis avara tulit.

In-

Ingenuis etiam Musarum dotibus aucti,
Ante suum multi sic cecidêre diem.
Jamq; tot amissis prius, ô dulcissime Caspar,
Te qvoq; mors avida sustulit atra manu.
Parce Deus, qvid adhuc non oblivisceris iræ?
Parce nimis longi causa doloris adest.
Occidit hei nostri qvi gloria temporis ingens
Multorumq; suis dotibus instar erat.
Occidit infelix, nec funus acerbius isto,
Dignior aut clades fletibus ulla fuit.
Nam qvid ego summas tot in uno pectore dotes,
Facta qvid æterna laude vehenda, canam?
Qvæ mea si vellet digno comprendere versu
Debilaturum Musa subiret onus.
Nil illi facilis natura negaverat uni,
Et dederat largas more parentis opes.
Fervidus hinc animi vigor, & qvæ liqvit inausum
Divitis ingenii vis operosa, nihil?
Jamq; brevi spacio linguam cognôrat utranq;,
Cum libuit cultus, doctus utraq; loqvi:
Addiderat Solymæ jam dulcia munera lingvæ,
Nec minus his judex de tribus acer erat.
Altera dum rerum varias ediscere causas,
Et qvæcunq; latent abdita, cura fuit.
Qvatuor ut primum genitalia corpora gignant,
Terrarum qvicqvid maximus orbis habet.
Unde simul mortale genus volucresq;, feræq;
Qvicqvid & Oceanus, fœtaq; terra creat.

Qvid

Qvid faciat tanto spirantes murmure ventos,
Frigida qvid Boreæ flabra: quid uda Noti:
Ut liquidus magni teli Jovis insonet æther,
Cum venit eliso nubibus igne fragor.
Grando quid unde nives, matutinæq; pruinæ,
Et gelidam pulsans frigidus imber humum.
Sidere quo refugæ vaga Thetyos æstuet unda,
Unde patens salsis æqvor abundet aqvis?
Omnia cur diro mortalibus igne Cometæ,
Sive ferant morbos, seu fera bella, micent.
Utq; bibat pluvias clarus splendore colorum,
Sole repercussis nubibus arcus aqvas.
Quin etiam docti monumenta deserta Galeni,
Noverat, & Coi scripta vetusta senis.
Præsentesq; malis herbas ad opemq; potentes,
Lætaq; purpurei germina veris opes.
Corporis & vires reparet qvi succus, & ægros
Gramina qvæ medicis usibus apta juvent.
Cumq; potestates radicum nosset, & herbas,
Optima qvas matrum gignere terra solet:
Sustulit à terris ad cœli sidera vultus,
Unde suos motus inferiora trahunt.
Pulchræq; cognovit melioris lumina mundi,
Ut peragant varias, non sine lege, vices.
Quodq; micet spacio terræ propiore, qvod astrum
Extet & a solida longius absit humo.
Qvid modus annorum? cur partes qvatuor anni?
Solis in obliqvum cur via secta latus?

Ut brevior, Phœbo septem propiore Trione
Rorifera noctis porrigat umbra diem.
Abditus ut lateat densa caligine Titan,
Inuida fraternis cum soror obstat equis,
Utq; petens solem decrescat, ut augeat orbem,
Lunaticis fratrem quando relinquit equus.
Illius ut piceæ nitor obscuretur ab umbra,
Cum facit opposito limite Phœbus iter.
Et quæ felices spargant mortalibus ignes
Sidera, nascenti commoda, quoq; loco.
Quid Canis aut Hyades moveant, quid aquosus Orion,
Hœdus & occiduæ gurgite lotus aquæ.
Nec requies animi tantum dulciq; voluptas
Conscia fatorum sidera nosse fuit:
Sed magis autorem cognoscere iuvit, & ingens
Esse Deum, mundi qui regat hujus opus:
Temperet & stellas, metisq; coperceat aptis,
Et curam ne quid longius erret, agat.
Ergo creatorem propius rerumq; parentem
Cernere, non dubii pectoris ardor erat.
Doctrinaq; pio celestis amore calebat,
(Ah quantum est, vero posse placcare Deo?)
Nec mora fatidici quicquid cecinere Prophetæ,
Deq; fide scripti noverat omne genus.
Impia cum subitò deliramenta perosus,
Sincere juvit Rellıgionis opus,
Et cupidas verbo pavit, Christiq; redemtæ
Morte, piè sancto munere functus, oves.

Nec

Nec minus, & duro spatiosi tempore belli,
Mansit in officio peruigil usq; suo.
Cumq; recessissent hac dulces urbe Camenæ,
Doctaq; Pierias turba secutæ Deas:
Leniit ille graves, adhibens solatia curas,
Et precibus, dixit, flectitur ira Dei.
Talis qvin etiam blandis facundia dictis,
Qvalis Nestorei gratia mellis, erat.
Qvid loqvar, ut veterum vertenti oracula vatum,
Auxilium tulerit magne Luthere tibi?
Ut Solymi censor sermonis acumine præstans,
Judicii fuerat dexteritate sui?
Tunc etiam cum te mors importuna tulisset,
Edidit abstersa scripta relicta situ.
Vtq; secuturi legerent vulgata nepotes,
Sustinuit longi grande laboris onus.
Adde pios mores, & turpi labe carentes,
Et stabilem pulchra cum gravitate fidem.
Qvid tamen ista juvant, qvid nunc opulentia linguæ
Cognitus aut medicæ profuit usus opis?
Iuraq; naturæ cœliq; uolubilis orbes,
Astraq; sideri cuncta notasse poli?
Num minus in gelido consumtus morte sepulchro;
Nunc animæ dulcis corpus inane, jacet?
Num minus (ô Parcæ) melioribus occidit annis,
Vix numerans vitæ lustra peracta novem.
Ac decus æternum (manes gaudete sepulti)
Ingenii dotes qvod peperere, manet,

Scriptaq; posteritas non Casparis immemor un-
Edita de sancta Relligione leget. (*qvam,*
Corpus & in cineres cum longa redegerit ætas,
Vivet, & ætatis fama seqventis erit.
Læta piæ capiens nunc debita munera vitæ,
Qvas habitat sedes turba beata colit.
Raptus & è tanto miserarum turbine rerum,
Parte sui fruitur nunc meliore Deo.
Hunc anima solum qvia deficiente rogabat.
Hoc sibi dicebat dulce jubente mori,
Et sua tranqvillo jam gaudia corde fovebat,
Et vacuo curis pectore lætus erat.
Sed relinqvendas natas audire juvabat,
Numen adorantes Christe benigne tuum.
Sæpe genæ lachrymis etiam maduére paternæ,
Et pius in sobolem flere coegit amor.
Nec minus & qvamvis defectus viribus æger,
In solitum placida mente vacabat opus.
Rimariq; situm cœli radiosq; solebat,
Sidera & exactis irreqvieta notis.
Cumq; tuum manibus Ptolemee volumen haberet,
Scrutatus sedes qvas editurus erat.
Astitit & Lachesis, calles foris omnia, dixit,
Interior cœli nunc patet aula tibi.
Dixit & eripuit terris, superaq; locavit,
Exsolvens animam, corpore jussa, domo.
Sidera nunc illic fulgentis semper Olympi,
Cunctaq; cognoscit quæ latuére prius.

Proge-

Progeniemq; Dei, majestatemq; verendam
Aspicit, & sanctos inter adorat avos.
Corporis ô felix ista compage soluta,
O anima ætherei sede recepta poli.
Jam reqvies tibi parta, vale dulcissime Caspar,
Et tua pacatis sedibus ossa cubent.
Nos lachrymæ gemitusq; manent, miserere tuorum
O Deus, & miseris dulce levamen ades.
En tua poscit opem dubiis Ecclesia rebus,
Et sine te nullum qvi tueatur habet.
En oppressa malis, orbataq; præside tali
Plorat, & hei miseræ qvid mihi fiet? ait.
Da patrii tandem genitor mitissime cœli,
Omnibus exhaustam casibus, ante frui.

IN EJUSDEM DOCT. CASPARI Crucigeri vivam imaginem, Epigramma.

ORe tribusq; potens linguis & pectore Caspar
Talis, adhuc vita cum frueretur, erat.
Caspar ovile Dei qui rexit vimq; luporum
Reppulit, & juvit Relligionis opus.
Lustra sui nondum bis quinq; peregerat ævi,
Funere sublatus cum fuit ante diem.
Lucida nunc coram, cœlesti sede receptus,
Quæ prius ingenium calluit, astra videt.

EPICEDION IN MORTEM sanctissimi Viri D. Ægidii Mechleri.

SIc igitur non est jus evitabile mortis?
Sic vacat à lethi conditione nihil?
Occidit Ægidius, date tristia carmina Musæ,
Justa nimis subiti causa doloris adest.
Vestibus ite deæ, luctus profitentibus, atris,
Et flete officio publica damna pio.
Occidit Ægidius, qvid nunc facundia linguæ?
Vitaq; labe carens, nec dubitata fides?
Quid juvat huic longè servisse fideliter urbi?
En jacet in gelida morte solutus humo.
Crudeles nimium, si fas est dicere, divæ
Quæ rigida netis pensa severa colo.
Vos quoq; crudeles, qui nulli parcitis anni,
Naturæq; mora solvitis hujus opus.
Quam venit hei tacitis citò passibo ægra senectus,
Robur & ætatis subruit omne dies.
Fatales igitur, completo munere vitæ
Ægidium terris eripuêre, deæ.
Longa tamen quamvis spoliasset viribus ætas,
Usq; vigil charo pro grege fidus erat.
An gravis incepti, non tempore mitior ullo
Sors peragit, demto fine, rigoris iter?
Vidimus exilio mutantes Albidos urbem:
Hei mala Pierias quanta tulisse deas.

Resq;

Resq; ducis chari fractas, quo tempore Phœbi
Pallidus immenso vultus in orbe fuit.
En rapitis quoq; fata bonos, Christiq; docentes
De vera mundum relligione, viros.
Occidit Ægidius, consumptus funere mœsto,
Maximus ille animis, maximus ille fide.
Nona bis Octobris, cursum nox tristis agebat,
Non, tenebris pulsis, exhibitura diem.
Parca ferox illum rapuit, dum funderet usq;,
Ardentes, anima deficiente, preces.
Ipsa etiam letum ne tam crudele videret,
Nubibus obscuris condita Luna fuit.
Parte tamen, tumulo quæ restat inobruta tantum
Post obitum, vivit, sed meliore sui.
Gaudiaq; illa capit vitæ cœlestis, ademptus
Morte secuturis præveniente malis.
Gloria vera manet lachrymosi funeris expers,
Ægidium certè non finit illa mori.
Interea tumulo feliciter ossa jacete,
Ultima dum veniat judicis hora DEI.

Epithalamion

IN NUPTIAS D. SIGFRIDI HETteni Crönningi, & Elisabethæ Joannis Lotichii filiæ.

Anno 1544. 6. Iduum Decemb.

SAcræ progenies Jovis Camœnæ,
Quæ ſylvas colitis beatiores,
Aut Pindi nemora, aut opaca Tempe
Doctæ numina vatibus puellæ,
Quæ fontes bibitis ſalubriores,
Largi Phocidis & virentis Hæmi.
Noſtrum Caſtalides decus ſorores,
Quæ ſponſas decoratis integellas,
Quæ ſponſos canitis, nec invenuſtos,
Hùc ô auſpicio bono venite,
Dum ſponſam decoramus, & decentem,
Dum ſponſum canimus, ſed expolitum
Vita, relligione, moribusq;.
Omnes hûc Charites, quot eſtis omnes,
Tuq; ô, ſive tuam colis Cytheron,
Seu blandum Idalium, ſacramq; Cyprum,
Et lucos Erycis, Paphum calentem,
Seu MartemGeticas Venus per oras,
Ad ditem ſequerisve mater Hebrum,
Dum flammis Lyparem fugis peruſtam.
Et tu diva Sami potens marinæ,
Sic nunquam tuus ille ſentiat Rex,
Ut qvondam pueri trucis pharetram,
Terrarum domitor, pater deorum,
Nolit ſervitium pati ſuperbum,
Adfer dextera faces precor maritas.
Tædas affer io Hymen jugales.
En quis ille chorus puellularum?

En primam, en & amabilem Thaleiam,
Junonem, Charites, Gnidi potentem.
Salvete Idalii deæ Samiq;,
Reginæ Charites, piæ ſorores.
Quam Cypris niveo renidet ore?
Nigris luminibus, capillulisq;?
Quid me fulgidulis tuens ocellis
Cypris inſpicit & canit? canenti
Nymphæ aſſurgite, & aſſonate ripæ.

VENUS.

Advocor, & meritò, caſtorum mater amorum,
Hoc duce me ſacrum perficietur opus.
Conjugio totum quæ tempore nobilis orbem,
Numinis in multis hæc qvoq; cura mei eſt.
Unica cunctarum primum confuſio rerum,
Donec id in partes omne receſſit, erat
Hic cœlo terras, terris Deus addidit undas,
Proximus aligeras ſuſcipit æther aves.
Aëra de ſummo ſecreverat æqvus Olympo,
Cinxerat incluſam qua patet æquor humum.
Sidera fulgebant, campi rude gramen alebant,
Jamq; feræ Sylvas, piſcis habebat aquas.
Sub Jove gens hominum deſertis ibat in agris,
Ducebat comites gnava juventa canes.
Cum pharetra ſolito pendebant retia collo,
Ille mei pueri notior arcus erat.

Aurea Chaonio peragebant tempora fructu,
Præbebat medium cespes & herba torum.
Mœnia tum fossis & cinctas mœnibus urbes,
Me duce mollita composuêre manu.
Regia legitimæ venit reverentia tœdæ,
Turba sub officiis hinc agit illa meis.
Advocor & venio Cesto succincta potenti,
Ille meas artes insidiator habet.
Ædite mansuetam placida Cythereide vitam,
Ducat & hic fatis, nubat & illa bonis.

JUNO.

Qvid te diva potens
Solam præcipuis tollis honoribus?
Æt me nupta colit nova,
Gratis thuriferi muneribus soli.
Æt comptas religat comas,
Æt vernis meritam spargit odoribus.
Felix auspiciis meis,
Adsum legitimis pronuba gaudiis,
Aptata numeris manu,
Laudor nobilibus carmine vatibus.
Quam Titan roseus nitet?
En fulget melius, purior & dies
Illis me duce nuptiis,
Æquæ lanificæ sunt & erunt deæ,
Felices ter & ô quater,
Quos jungit placido copula fœdere,

Non

Non illis querimoniis,
Suprema veniet diſſidium die.

GRATIÆ.

Audiat gratas Veneri miniſtras,
Gratias, puris genitor ſub undis.
Cynthius, ripæ faveant canoræ,
Antra reſultent.
Proſperi felix thalami ſit omen,
Candida tutis mediocritate.
Sint ſacræ leges, maneatq; longos
Fœdus in annos.
Hic dies verè bonus, i benigno
Sidere illuſtris, redeasq; fauſto,
Lux favens natisq; nepotibusq;
Læta futuris.

HYMEN.

Jungo meo caſtos & ſolvo potenter amantes,
Numine dexter Hymen.
Vos ego conjungo ſeris mors ſolvet in annis,
Numinis arbitrio.
Illa ſemel ſtygium quæ frigida ducit ad Orcum,
Nempe terenda via eſt.
Interea placidam ſine crimine ducite vitam,
Quam dederint ſuperi.

Tempora prætereunt, & se fugiuntq; petuntq;
Et citò Bruma venit.
Vive datis hodie, venient cras altera fatis,
Talis in orbe rota est.

MUSÆ.

Diis eat auspicibus cœptum, & Junone secunda,
Connubii placido quæ fœdera numine sancit.
Illa favens oculis videat Saturnius æqvis.
Diiq; deæq; aliæ, qvæq; ætheris ulla, vel orbis
Relligio est, pacem æternam pactosq; Hymenæos
Exercete, bonis componite gaudia fatis.
Ah miserande puer, nigro quem mersit averno,
Ante diem nuper gravis inclementia Parcæ.
Nunc tuus alter honor geminis cum fratrib. esset,
Et prædulce decus, non sic tua fata tulerunt,
Iniecêre manus superi, succisus aratro
Flos tuus in primo marcens puer excidit ævo.
Spargite Pierides tumulum, accumulate sorores.
Muneribus gelidum (si qva est ea cura) sepulchrum.
Te nemus Iliceum patriis te Cynthius undis,
Cynthiades Nymphæ, doctæ flevêre camenæ.
Nunc anima Elysio in campo, per amœna vireta,
Æthereum pæana canit, luditq; sub umbra
Fortunatorum nemorum, charosq; nepotes
Dinumerat recolens, commistam sanguine prolem
Externi generis, cognatum in nomen ituram.

Nos

Nos etiam dulcem gratæ celebremus honorem,
Cantemus festas utcunq; ornantia tædas.
Hæc ita perpetuo jungantur gaudia nexu,
Connubii, amborum non adversantibus astris.
Venturæ memores hyemis, stirpisq; futuræ,
Legibus exigite optatum concordibus ævum.
Jam sat Pieriæ sat est puellæ,
Cultores dominæ, Sami Paphiq;.
Reginæ Charites, Hymen pudice,
Nunc rursus unde pedem attulistis, ite.
Sacræ progenies Jovis Camenæ.

AMPLISSIMO VIRO D. JOANNI Langio Lempergio, Medico clarissimo, S. P. D.

HOminis natura, JOANNES LANGI, vir amplissime, moderatam amat qvietem, qva alitur, ac qvodam qvasi cibo reficitur: cujus qvidem ocii maximus ac uberrimus est fructus, animorum ab honesta delectatione petita relaxatio. Cum itaq; in his caloribus, iis ego voluptatibus carerem, qvibus abundant alii, in hortos interdum suburbanos ex urbe me conferebam:

bam: ubi ab omni alia cura ac cogitatione solutus ac liber, cum veteribus amicis, humanioribus nempe studiis, qvibus, aliis occupationibus impeditus, plurimam jamdudum salutem dixeram, in gratiam redibam: idqve exemplo potissimum commotus atq; incensus tuo. Etsi enim post tot tantorumq; laborum defunctiones in hac etiam ingravescente jam ætate, propter exqvisitam doctrinam, multarum rerum usum, ac singularem industriam tuam, nondum abdicata Medicinæ opem, semper occupatissimus esse soleas: tamen, si qvando breve reqviescendi spacium nactus es, id omne tu cum Musis, qvæ puerum te aluerunt, suavissimè consumis: nec Poëtarum solùm lectione, qvemadmodum virum elegantissimis literis expolitum decet, plurimum delectaris, verùm etiam ipse interdum ex te promis aliqvid, qvod ad veterum in eo genere scriptorum laudem ac suavitatem proximè accedat. Mitto igitur ad te NICRUM meum, carmen per se qvidem tenue: nec in id à me confectum, qvod illustrissi-

lustrissimi Principis divinas laudes, qvas mente ac cogitatione melius complectimur, exprimere me posse confiderem: sed ut darem aliqvod saltem interea perpetuæ meæ erga Illustriß. Principem, voluntatis testimonium, donec aliqvid per ocium excuderem, qvod si minus dignitati tanti Principis ac gloriæ responderet, animi tamen mei cupiditatem ac propensionem adæqvaret. Qvod igitur superest, Langi clarissime, vehementer etiam atqve etiam te rogo, ut hoc observantiæ erga te meæ pignus boni consulas, meq; apud Illustriß. Principem in gratia ponas, commendatione tua subleves, atq; authoritate qvantum potes tuearis. Vale. Heydelbergæ, pridiè Calend. Sextilis, M. D. LVII.

CLARISSIMO VIRO GEORGIO Cracovio, Jur. utriusq; Doctori, ac Illustriss. Princ. Augusti, Ducis Saxo. & Elect. Consiliario, Petrus Lotichius Secundus, S. P. D.

Lite-

LIteras tuas, V. Calend. Maij datas, accepi postridiè ejus diei, luctus & lacrimarum plenas, ornatissime atque amplissime Cracovi, cùm manè exercendi mei causa extra urbem in hortis deambularem. Ex quibus tantum cepi dolorem, quantum verbis exprimere non possum: prorsus incredibilem. Etsi enim nobis hic quoque, obscuriore tamen fama, auditum erat, PHILIPPUM MELANCTHONEM, pituita tenui ad pulmonem destillante affligi, & febricula insuper tentari cœpisse, meq; & laterum ejus infirmitas, & imbecillitas virium nonnihil, ut timerem, commoveret: sperabam tamen, planeq; mihi persuadebam, diligentia atque temperantia, qua in depellendis morbis exactissima uti consueverat, adjuvante etiam hoc tempore puri ac temperati aëris clementia, valetudinem jam illum recuperasse pristinam, præsertim cum inanis illa rumoris auræ celeriter consedisset, penitusq; evanuisset. Hac ego spe cum aliqvantulum me sustentarem, ecce repente alteræ multò miserabilius & tristius in eandem rationem conscriptæ, qvibus certò significabatur, eam febrim, quam lenius jam accedere, aut plane decessisse arbitrabamur, XIII. Cal. Maij finem illi vitæ attulisse. Qvid tibi ego hic tristem & acerbum omnium bonorum luctum commemorem? quid dicam mi Cracovi? amisisse nos præstantissimum virum, summa virtute ac fide, pacis ac concordiæ amantissimum, quem omnes externi atq; advenæ,

tan-

tanquam communem literarum parentem, amabant, colebant, admirabantur, amabitq; multò vehementiq, ac prædicabit, extincta invidia, omnium seculorum posteritas. Nescio enim quo pacto comparatum sit, ut quæ in manibus nostris posita sunt bona, & oculis quotidiè obversantur, sensim quasi obrepente satietate fastidiamus, eorumque nos pertædeat: ubi verò amissa sunt, animus multò ea requirat ardentius, sicut non minus verè, quam eleganter Venusinus noster:

Virtutem incolumen odimus,
Sublatam ex oculis qværimus invidi.

Sed de his ii viderint, quibus in tantis relligionis dissidiis, ac rerum omnium confusione, doctrinæ cœlestis & literarum (sine quibus illa consistere, ac dignitatem suam tueri nequit) cura ac propagatio à Deo Opt. Max. commendata est. Elegiam, quam à me petiisti ut conscriberem, etsi propter valetudinis meæ imbecillitatem, neq; meditationis bono satis uti, neq; in recenti acerbissimoq; luctu, in latini sermonis puritatem ac numerorum elegantiam, animum ut par erat, intendere licuit: confeci tamen, cum aliter neqve voluntati tuæ, neq; dolori meo satisfacere possem, eamq; ad te, mi ornatissime Cracovi, mitto, sic tamen, ut aliquid per ocium à me elaboratum propediem expectes, quod limato, politoq; judicio tuo aliqua ex parte respondeat. Hoc enim unum relictum esse video remedium, quo ipsius defuncti desiderium

miti-

mitigem atque consoler. Bene vale. Et clariss. viris, Joachimo Camerario, ac Caspari Peucero plurimam meo nomine salutem dicito. Date Heydelbergæ Nonis Maij, M. D. LX.

P. LOTICHIUS SECUNDUS, D. Paulo Luthero, M. F. Illustriss. Principum, Ducum Saxoniæ, &c. Medico, viro clarissimo, S. P. D.

AMicitia nostra, & studiorum societas, facit, Paule Luthere, vir clariss. ut te compellem, & impetrare ab humanitate tua cupiam, ut carmen hoc in nuptias Illustrissimi Principis, JOANNIS GVILHELMI, Saxoniæ Ducis, &c. heroicis à me versibus scriptum, sub nomine tuo in manus hominum emitti patiaris. Quod te haud gravatim facturum, cum cæteræ mihi virtutes tuæ facilè persuadent: tum etiam, qvod non ignorem, te non minus his nostris studiis, quæ sibi ab humanitate nomen asciverunt, qvam abditarum ac reconditarum rerum

rum doctrina, quæ à Philosophis & Medicis tractantur, excellere. Conatus sum maximè veterum familiarum, qvæ longè lateq; disseminatæ sunt, genealogiam breviter intexere: ex qvibus non tam præcepta quam exempla fortitudinis, constantiæ, & quod caput est, pietatis, (sine qua infirma est reliqvarum omnium rerum gloria) in universam Europam redundarunt. Scribendi porrò fiduciam mihi attulit, singularis Illustriss. Principum humanitatis, & egregium in promovendis ornandisq; bonis artibus studium, qvas illos amplissimis propositis præmiis, vel iniquis etiam temporibus fovisse, omnes mortales norunt, ejusq; liberalitatis memoriam nulla unqvam temporis oblivio delebit, nulla vetustas ex animis hominum evellet. Qvid de JOANNE FRIDERICO, Heroè planè divino, dicam, qui hæres avitæ paternæq; gloriæ, nulli unqvam fortunæ succumbens, altiorem semper ha-

habuit animum, quam ut iis, qui in hac vita ſunt fluctibus, obrui poſſet. Et decet profecto viros Illuſtres, qvos â Jove, id eſt, Deo Opt. Max. eſſe, apud Platonem inqvit Socrates, literarum monumentis poſteritati commendari: qvod etſi ego mihi non ſumam, aut ingenio tantum arrogem (abeſt hoc à natura mea, abeſt à moribus plurimum) egregiam tamen certe voluntatem affero, & hanc ocii oblectationem ut jucundiſſimam, ita honeſtiſſimam ſemper eſſe duxi. Etſi vero me initiò & conſcientia mediocritatis meæ plurimum deterreret, & res ipſæ variè ac conciſè à ſcriptoribus non doctiſſimis illis quidem, ſed amantibus patriæ viris, tractatæ, non ſolùm per ſe difficultatem afferrent, verùm etiam vix ullam ſui illuſtrandi ſpem relinqverent: malui tamen voluntati eorum, qvibus negare nihil poſſum, obſeqvi, quam aut nominis mei majorem ducere rationem, aut ullam co-

len-

lendi officii prætermittere facultatem. Usus autem sum in digerenda historiarum serie, consilio atq; opera D. Michaëlis Beutheri Jureconsulti, qui totius antiqvitatis ac rerum potissimum Germanicarum memoriam exactè tenet, multaq; in veterum libris vel correctione sanat atq; restituit, vel explicatione illustrat. Hoc tu carmen, mi optime atq; ornatissime Paule, quod cum tui nominis inscriptione divulgavi, si quando jam Spiræ à legitimo negotiorum tempore, ocii aliquid nactus fueris, etsi à maturitate, absit quidem longissimè, ita tamen leges, sicut in hortis primo vero deambulantes, donec maturitatem suam fructus assequantur, rosamùe aut violam decerpere possimus, floribus interea arborum, & herbescente plantarum viriditate, atque incremento, oblectare nos solemns. Quod ut facias, meq; apud Illustrissimos Principes tuos, (sub quorum Patre divino

vino Heroë JOANNE FRIDERICO adoleſcens, laborem etiam militarem perpeſſus fui) in gratia ponas: &, ſi quid in me veri ac recti eſſe putas, commendes, etiam atq; etiam à te peto. Vale. Heydelbergæ, XV. Calend. Julii, D. LX. ſupra milleſimum.

FINIS.

NE FRIDERICO
etiam militarem
tia ponas: &, si
recti esse putas,
tq; etiam à te
rgæ, XV. Ca-
pra mille-

S.

Vox

Ergo occurrit in ultima syllaba brevis
pag: 5, 19, 22, 23, 28, 34, 45, 46, 63, 100, 101, 110, 116,
139, 143, 242 &c: nam hoc valde reprehendendum. sed optimi veterum nos hanc syllabam ita usurparunt, si unicum Ovidii locum exceperis. nam Juvenalis, Martialis Ausonius aliique non tam accurati fuerunt.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

R G B W G K C Y M

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19